Rhetorische Studien.
Herausgegeben von Dr. E. Drerup, o. Prof. a. d. Univ. Nymwegen.
13. Heft.

De Lucillo Tarrhaeo

epigrammatum poeta, grammatico, rhetore

scripsit

Dr. Albertus Linnenkugel.

Paderbornae 1926.
Typis et sumptibus Ferdinandi Schoeningh.

Rhetorische Studien.
Herausgegeben von Dr. E. Drerup, o. ö. Prof. a. d. Univ. Nymwegen.
13. Heft.

De Lucillo Tarrhaeo
epigrammatum poeta, grammatico, rhetore

scripsit

Dr. Albertus Linnenkugel.

Paderbornae 1926.
Typis et sumptibus Ferdinandi Schoeningh.

Haec commentatio dissertationis inauguralis loco philosophorum ordini Monasteriensi tradita et comprobata est.

D · M · S
Paulae, uxoris carissimae, e
gente Schmitz Warendorpiensi
praematura morte mihi ereptae

Κλῦθί νυν . . . ἐν μέρει πολυδάκρυτα πένθη.
Δίπαις τοί σ' ἐπιτύμβιος θρῆνος ἀναστενάζει.
Aesch. Choeph. 333 sqq.

Index capitum.

Praefatio.

Libertate Graecis a Romanis erepta ingeniorum quoque sollertia, qua usque ad id tempus poetae docti litterarum genera aut numero auxerant aut forma excoluerant, etiam atque etiam deminuebatur. Immensis iam opibus adiumentisque in caput orbis terrarum collatis permulti viri docti magna spe inducti sunt, ut domicilium Alexandria et Pergamo, ex veteribus cultus atque humanitatis sedibus, Romam transferrent, ubi auribus et iudicio aequalium inservientes tritas grammaticorum vias ire pergebant. Soli epigrammatum poetae, in quo carminum genere proxima saecula plurimum effecerant, argumentis antea tractatis facetias et dicteria adiungentes rem novam protulerunt. Nam his epigrammatis ineuntis Caesarum aetatis nihil fere commune est cum carminibus priorum Alexandrinorum mordacissimis, quae, quamquam ipsa nobis amissa sunt, tamen qualia fuerint ex imitationibus poetarum *νεωτέρων* Romanorum[1] cognosci potest. Sed cum circumspectabimus, unde illa fortasse exordium duxerint, facile de nonnullis Philippi coronae poetis cogitabimus, qui artem rhetoricam et id Romae quidem maximam partem professi sunt. Hi enim poetae, qui in carminibus suis iam nonnullis ridiculi locis usi sint, epigrammata irrisoria inde a Claudii temporibus plurimis accepta videntur praeparavisse.[2] Quorum carminum numerus permagnus sub nomine Lucilli cuiusdam fertur, quem, quod ceteris eiusdem generis epigrammatum poetis aetate antecedat, inventorem fuisse coniectura probabilis est. Quae cum ita sint, neminem nos vituperaturum esse pu-

---

[1] Reitzenstein, Epigramm und Skolion, 1893 p. 93 ann. 1.

[2] Reitzenstein, P. W. VI s. v. Epigramm, col. 104.

tamus, quod Sonnenburgio, praeceptore nostro, monente quis hic Lucillus fuerit, denuo quaerendum nobis proposuimus. Ad quam quaestionem persolvendam quibus opus erit argumentis, ea cum epigrammatis solis nobis subministrari possint, primum genuina Lucilli carmina nobis eruenda sunt, quibus nixi tum ad summam disputationis partem aggredi poterimus.

Caput I.

Quae epigrammata Lucillo iure tribuantur.

Difficultates omnibus obsistentes, qui indiciis ex usu loquendi solo ductis ignotum vel longi cuiusdam carminis auctorem indagare volunt, etiam augentur in epigrammatis, quae, qua sunt brevitate, persaepe parum aut nihil insigne propriumque poetae habeant. Quae res aliquantulum eo compensatur, quod et Constantini Cephalae et Planudis monachi florilegiis tradita sunt; namque, etsi ambo arto inter se continentur vinculo, tamen consentientibus lemmatis raro est cur dubitemus, quin traditum nomen auctoris verum sit. Qua re nobis quasi signum quoddam datur, quae ratio in prima quaestione tractanda nobis ineunda sit: ab epigrammatis, quae in utraque anthologia Lucillo tribuuntur, ut vere Lucillianis profectis nobis cetera, quorum lemmata inter se discrepant, perscrutanda atque ita, ut haec cum illis comparemus, argumenta reperienda sunt, quibus controversiae aliquo saltem modo disceptari possint.

Atque lemma *Λουκίλλου* vel *Λουκιλλίου* et in Palatina et in Planudea anthologiis adpictum videmus carminibus his:

VI 166	XI 131	XI 174—178	XI 249
XI 11	„ 133—136	„ 183—185	„ 253
„ 68	„ 138	„ 189—192	„ 254
„ 69	„ 141	„ 194	„ 256-259
„ 75—79	„ 143	„ 196	„ 264
„ 83—85	„ 148	„ 197	„ 266
„ 87	„ 153	„ 205—208	„ 276—279
„ 88	„ 154	„ 210—212	„ 309
„ 90—94	„ 159—161	„ 215	„ 311
„ 99	„ 163—165	„ 216	„ 312
„ 100	„ 171	„ 233	„ 315
„ 103—107	„ 172	„ 245—247	„ 389—393

Quae carmina omnia generis scoptici sunt exceptis epp. XI 389 et 390, quae ipsa nos docent id quoque genus, quod dicitur exhortativum, a Lucillo cultum esse. Maximi autem momenti ad genuina Lucilli carmina a spuriis distinguenda id mihi videtur esse, quod numerus nominum propriorum in iis adhibitorum finibus satis angustis continetur ita, ut nomina velut Aulus, Marcus, Heliodorus, Diophantus, alia saepissime nobis occurrant. Accedit, quod poeta interdum totas versuum partes compluries repetere non veretur. Exempli causa illud *αὑτὸν ἀπηγχόνισεν* pono, quod in epp. XI 90, 2; 91, 2; 249, 2; 264, 2 scriptum invenimus; itemque *ὕπτιος ᾽ξετάθη* in epp. XI 104, 2 et 107, 2; *καὶ τί γὰρ* XI 85, 5 et 91, 3; *τὸ στόμα μου δέδεται* XI 138, 2 et 148, 4; *νόμου χάριν* XI 141, 7 et 206, 2; *ἦρε δὲ πάντ᾽ ὀπίσω* XI 205, 2 et *πάντα δίδως ὀπίσω* XI 207, 2; *πᾶν, ὃ θέλεις με λέγε* XI 177, 6 et *πᾶν ἀνάτελλ᾽ ὃ θέλεις* XI 183, 6 est. Quin etiam in epp. XI 161, 1 et 163, 1 aut XI 246, 1—2 et 253, 1—2 vel toti versus paululum mutati repetuntur. Ubi huius modi signa non reperientur, hic illic materia tractata artibusque ad risum movendum usurpatis argumentis utar. Quod denique versuum quoque ratione respecta nonnumquam ad exitum perveniri poterit, hoc loco, quomodo Lucillus adversus Alexandrinorum leges metricas se gesserit, paucis exponamus. Atque notum est poetas doctos Alexandrinorum aevi versus heroi structuram in hunc modum subtilius excoluisse, ut quotiens quibusque condicionibus caesurae interponendae essent, minutatim praescriberent. Quo intuentes ubi Lucilli epigrammata recensebimus, eum has admisisse incisiones reperiemus:

1.	caes.	semiquinariam solam	in	2	hexametris[1]
2.	„	semiqu. + bucolicam	in	148	„
3.	„	semiqu. + semisepten.	in	20	„
4.	„	trochaicam	in	52[2]	„
5.	„	trochaicam + bucolicam	in	74	„
6.	„	semiternar. + semisepten.	in	7	„

Alexandrinos igitur poetam in arte metrica secutum esse eo

[1] in epp. XI 142, 3 et 408, 1.

[2] In his 52 versibus 23 sunt, in quibus post quintam arsim poeta versum iterum incidit.

apparet, quod eorum praecepta observans[1] trochaicae quoque caesurae amplissimum spatium dedit et post caesuram tertii pedis alteram versus partem semper fere iterum incidit. Quin etiam paulo longius progredi nobis licet. Etsi enim ideo, quod permulti sales versibus includendi in verborum lusu versabantur, poeta in eligendis verbis haud ita liber erat, tamen in versuum ratione etiam ad alia Alexandrinorum praecepta se alligavit. Nam legum metricarum, quae ex nomine illius viri docti, qui eas repperit, Meyerianae dici solent, primam et secundam quidem Lucillus neglexit, sed observavit tertiam, qua praescriptum[2] erat, ne in versibus semiquinaria instructis arsim quinti pedis ultimam verbi syllabam esse nisi nominibus propriis aut petito effectu rhetorico quodammodo coactus poeta sineret. Quamquam igitur plus dimidia pars omnium Lucilli versuum hexametrorum caesuram tertii pedis masculinam habent, tamen exceptis versibus XI 95, 3 et 403, 1 et 3 nusquam in hanc legem vere peccavit. Nam quod in epp. XI 249, 5 et 315, 1 hoc praeceptum neglexit, id nominibus propriis excusatur, item in ep. X 122, 3 vocabulorum cynicorum *ὀφρύς* et *τῦφος*, in epp. XI 314, 3 et 393, 1 verborum lusuum *πείνης-πίνακας* vel *κήλη-θυγάτηρ* in versus inserendorum excusationem satis magnam poeta habuit. Ac pariter adversus has leges Meyerianas Apollonium quoque Rhodium[3] se gessisse, cum prima et secunda neglectis tertiae paruerit, silentio praetereundum non esse arbitror.

A. Quibus rebus expositis iam ad singula epigrammata examinanda progrediamur. Ac primum quidem maior auctoritas fidesque, quae codici Palatino haberi solet, nonnullis epigrammatis probatur, quae, cum in Planudea *ἄδηλα* sint, a Cephala tribuantur Lucillo. Namque Lucilli ingenium atque indoles, qualem ex carminibus supra compositis cognovimus, tantopere in iis videtur spirare, ut longa confirmatione supersedere et pauca attulisse contento esse mihi liceat. Quo in numero ep. IX 572 est; nam verbo *χαλκός* aeque atque illi *ἀχαλκεῖν* (XI 154, 5) a Lucillo ipso ficto vis pecuniae ex ser-

[1] Wilh. Meyer, Zur Geschichte des griech. und lat. Hexameters. Sitzungsber. der bayr. Akad. 1885, p. 993.

[2] ibid. p. 980. [3] ibid. p. 985.

mone plebeio prompta[1] hoc loco subiecta est ac Caesari poema dedicatur, quocum Lucillo nescio quid rationis intercessisse ex ea re concludi potest, quod imperatorem in compluribus epigrammatis alloquitur. Quae Caesaris allocutio cum etiam in ep. XI 132, 1 una cum illo Homerico *μῆνιν ἄειδε, θεά* a Lucillo persaepe usurpato repetatur, ne de hoc quidem carmine scrupulus restat. Tertium vox *χαλκός* in ep. XI 388, 6 pecuniam significat, qua re lemma Palatinum comprobatur. Atque idem de epp. XI 89, 101, 137, 217, 265 propter nomina Hermogenis, Demetrii, Heliodori, Apollophanis, Gai putandum est, quae Lucillus omnia in deliciis habuit. Quod ad epp. XI 139 et 240 attinet, nominibus *Ζηνωνίς* et *Δημοστρατίς* exemplo nominis *Δημοσθενίς* (XI 266) fictis ea vere Lucilliana esse probatur; namque omnia a nominibus illustrium Graecorum derivata sunt. In epp. XI 313 et 314, quae in codicibus et apud Stobaeum falso in unum contracta sunt, cum aliis meae disputationis locis saepius adhibeantur neque quidquam iis insit, cur de lemmate Palatino dubitemus, hic quidem nullum ultra verbum aut operam insumo.

Restat, ut de epp. XI 234 et 279 iudicium faciam. Atque ep. XI 234 in Planudea lemmate caret. In Ald. Planud. *ἄδηλον* est, in lectionibus autem Aldinis signo *τοῦ αὐτοῦ* i. e. Lucilli, cuius carmen praecessit, denotatur, quo Palatini lemma fulcitur. — Haud ita facile denique est de ep. XI 279 probabiliter decidere. Etenim codicum lemmata mirum in modum inter se discrepant. Nam in Palatino codice Lucillo assignatur, in Planudea epigrammata hoc ordine inter se excipiunt:

XI 138 *Λουκίλλου*
XI 278 *τοῦ αὐτοῦ*
XI 279 *τοῦ αὐτοῦ εἰς γραμματικὸν κερασφόρον.*

Sed Aldina princeps Plan. teste Frankio[2] tradit *ἄδηλον,* deinde corrigit Planudem sequens *οὐκ ἄδηλον δεῖ ἐπιγράφειν, ἀλλὰ τοῦ αὐτοῦ εἰς γρ. κ.* Atqui argumento carminis respecto haec verba, cum in id tantum quod antecedit epigramma quadrent, errore correctoris carmini XI 279 adscripta esse cognoscimus. Hoc ergo *ἄδηλον* manet. Ac ne id quidem ad hanc quaestio-

[1] cf. Pollucis Onom. IX 92 Bekker; cf. Ev. Marc. 12, 41.
[2] De Pallada epigrammatographo, Diss. Lips. 1899 p. 13.

nem momentum affert, quod „hoc distichon in quibusdam codd. *Παλλαδᾶ* inscribi neque quidquam Lucilliani habere ingenii Stephanus monuit.“ [1] Nam quamquam Palladae ep. IX 173 in simili argumento versatur, cuius carminis ultimi versus praecipue maximam habent similitudinem, ac similis verborum *μῆνις* et *χόλος* lusus in ep. IX 168, 3 est, tamen quod notae ingenii poetici tam certae, ut auctorem distichi sine errore significent, plane desunt, cum Iacobsio rem in medio relinquere malo. — Postremo ep. XI 308 in Planudea omissum in cod. Palatino solo Lucillo attribuitur. Idque iure. Nam argumentum paululum mutatum ep. XI 93 ipso tractatur et verba exeuntis prioris versus *Κλεόνικος ὁ λεπτός* illi *Στρατόνικος ὁ λεπτός*, quod in ep. XI 91 eodem versus loco legimus, persimilia sunt.

B. Deinceps ad ea epigrammata transeamus, quae in Palatino Lucillo, in Marciano alteri poetae vindicantur. Quo in numero carmina XI 95, 142, 155 sunt, quae apud Planudem lemma *Ἀμμιανοῦ* habent. At Cephalam vera tradidisse haud difficile est cognitu. Nam quod in ep. XI 95 homini pusillo nomen Macronis inditur, idem nominis lusus in ep. XI 105 est, ubi pumilus quidam *Εὐμήκιος* nominatur. Praeterea exclamationem *Ζεῦ πάτερ* etiam in ep. XI 88 et hyperbolae in versu quarto adhibitae similes in epp. XI 104, 4 et 392, 3 habemus. — Atque ep. XI 142 in longa serie (inde ab ep. 131—143) carminum Lucillianorum est et Critonis nomine Lucillus etiam in ep. XI 165 utitur. Eo autem, quod ep. XI 157 re vera imitatione huius carminis expressum Ammiani est, monachum, ut ep. XI 142 ipsum quoque Ammiano tribueret, adductum esse coniecerim. — Neque minus ep. XI 155 Lucilli est; nam *ῥιγομάχος* in numero verborum a Lucillo novatorum est, illud *πώγωνα τρέφειν* in ep. XI 154, 3, *τί γὰρ* ad exspectationem augendam usurpatum in epp. XI 91 et 184 habemus.

Iam sequuntur epp. XI 294, 295, 310, quae in Planudea ut Palladae feruntur. Atque ep. XI 294 in codd. infra post ep. XI 441 iterum scriptum est eodem lemmate notatum

[1] Jacobs, Animadversiones in epigrammata Anthologiae Graecae II 2 p. 473.

Λουκίλλου. Cum autem hoc quoque codicis loco in textu, non, ut alia nimirum epigrammata, quae correctoris[1] manu postea adscripta sunt, in margine legatur, iam a Cephala ipso carmen iterum exscriptum esse patet. In extrema enim libri undecimi parte componenda rem ita videtur instituisse, ut primum quidem longam illam epigrammatum seriem (inde ab ep. XI 417—436), in qua carmina omnia in singulorum distichorum et elementorum ordinem redacta sunt, totam ex uno eodemque florilegio[2] promeret, tum ex syllogis, quae ei praesto erant, quasi spicilegium faciens hinc illinc epigramma Arati (437), apopthegmata Menandri, Diphili, Pittaci, Philisci (438—441), deinde, quo de agitur, Lucilli carmen exscriberet, qua in re hoc Lucilli epigramma antea iam translatum esse eum fugit. Cum autem utroque loco lemmate *Λουκίλλου* a Cephala insignitum sit, tantum abest, ut id coniectura eius niti opiner, ut lemma memoriae antiquis syllogis servatae deberi persuasum habeam. Accedit, quod eadem sententia ep. XI 389, 5—6 exprimitur. — Etiam XI 295 genuinum Lucilli epigramma est; nam illud *ἐνὶ μεγάροισι τεοῖσιν* ex Homero sumptum et verba ineuntis prioris versus fere in ep. XI 115, 1 eodem loco scripta invenimus. — De ep. XI 310 denique idem dicendum est, quod inter epp. Lucilli (308—316) invenitur et argumentum carminum XI 68 et 69 variatur.

Sex autem Lucilli carmina Planudes Luciano vindicat: X 122, XI 10, 80, 81, 212, 239. Nec vero in his quidem cod. Marcianus Palatino auctoritatem detrahere potest. Nam omnium epigrammatum in anthologiis sub Luciani nomine traditorum uno excepto nullum illius scriptoris Samosatensis esse infra videbimus. Atque ep. X 122 non scopticum quidem, sed tamen illis exhortatoriis (XI 389 et 390) propinquum est, quae utraque anthologia Lucillo tribuuntur. Praeterea cum

[1] Finsler, Kritische Untersuchungen zur Geschichte der griech. Anthologie, 1876, p. 109 sqq.

[2] Hoc florilegium serioris fuisse aetatis inde elucet, quod ep. 423 Helladii est et epigrammata, quae Luciano falso assignata in hac serie insunt, cum leges metricae et prosodiacae saepe in iis neglegantur, vera seriorum ingenii specimina sunt.

Ausonium inter epigrammata undecimi anthologiae Palatinae libri imprimis Lucillum, quem — ceterum admodum serviliter[1] — imitaretur, dignum iudicavisse constet, hoc vero epigramma Ausonio exemplari fuerit,[2] nescio an ex hac quoque re Lucillum auctorem esse confici possit. — Etiam ep. XI 10, quo poeta morem in cena de rebus grammaticis disputandi improbat, Lucilli est; namque idem argumentum simili modo (cf. p. 38) ep. XI 140 tractatur ac nomen Auli saepissime in carminibus eius occurrit. — Atque idem de epp. XI 80[3] et 81 sentio. Nam praeterquam quod de malis athletis iocularia dicere poeta in deliciis habet, ep. XI 80 aeque atque ep. XI 312 carmina sepulcralia in obscenos risus deflectuntur. Quod autem ad ep. XI 81 attinet, verba exeuntis quarti versus *ἄπνοος ἐκφέρομαι* quam sint similia illis *Γάιος ἐκφέρεται* (XI 92, 6), *σήμερον ἐκφέρεται* (XI 113, 2) praedicavisse satis habeo. — Neque minus epp. XI 212 et 239 genuina sunt. Nam Erasistratus in epp. XI 83 et 259 quoque nominatur et illud *καὶ πέρας* (v. 5) versus complendi causa usurpatum eodem loco et in ep. XI 92, 3 est. Ep. XI 239 denique propter multa exempla ex historia fabulari petita eamque rem, quod feminae os fetidum eo quoque, quod sequitur, epigrammate in ludibrium vertitur, Lucillo tribuendum videtur.

Deinceps ep. XI 214 in Planudea Leonidae assignatur, id quod probandum non esse vel inde apparet, quod *ἰσόψηφον* non est.[4] Immo vero Lucillum esse auctorem ostendi potest; nam nomen Menestrati in epp. XI 104 et 153 quoque est et illud *ζητεῖς, τίς τίνος ἄξιός ἐστιν* cum illo *γνώσῃ, τίς τίνος 'στὶ Κρόνος* (XI 183, 4) bene comparari potest et ut hic, ita in ep. XI 131 poeta quidam cum Deucalione et Phaetonte salse componitur.

C. Atque cum in epigrammatis adhuc anquisitis cod. Palatini lemmata maxima fide se digna praestiterint, iam car-

---

1 cf. XI 163 = Auson. epigr. 96; XI 254 = Auson. epigr. 87 Sch.

2 Auson. App. V epigr. 10 Sch.

3 Illud *Ἄπιν· οὐδένα* (—◡—◡◡) legibus metricis non repugnat. Nam idem apud Homerum quoque reperimus (cf. E 358 *πόλλα λισσομένη* vel Ψ 493 *Αἶαν Ἰδομενεῦ.*)

4 cf. Radinger, Leonidas v. Alexandria, Rh. Mus. 58 (1903) p. 296, ann. 1.

mina perscrutanda sunt, quae, cum Cephalas aut inter duos auctores fluctuaverit aut alium nominaverit aut lemma omnino omiserit, solo a Planude Lucillo vindicantur. Ubi argumenta vel maxime ad persuadendum accommodata nobis afferenda erunt, cum lemmati cod. Marciani fidem facere volemus. Quo in numero carmen V 68 est, cui in Palatino lemma *Λουκιλλίου, οἱ δὲ Πολέμωνος τοῦ Ποντικοῦ,* in Marciano *Λουκίλλου* additum est. Quod carmen Weigandus[1] ob eam tantum causam Lucillo auctori tribuit, quod tota series epigrammatum, quam in A. P. V 65—76 habemus, ex Diogeniani sylloga sumpta est. At vero hoc argumentum mihi parum luculentum videtur esse, quoniam illa in sylloga, quam non solum scoptica, verum etiam ceterorum generum epigrammata habuisse constat, Polemonis quoque carmina fuisse possunt. Cum enim utrum Polemonem Cephalas denotare voluerit, plane nesciamus, nihil obstat, quominus pro illo Polemone, qui imperatoris Augusti temporibus floruit,[2] minorem potius aetate Polemonem, Polemonis senioris ex filia nepotem, qui usque ad annum 63 in Ponto regnavit et usque ad annum 69 fere vixit,[3] poema pepigisse opinemur. Quodsi haec opinio probabilis est, fieri non potest, quin carmina eius aeque ac Lucilli in Diogeniani sylloga fuerint, quam epigrammata eorum poetarum, qui inde ab imperatore Claudio usque ad Hadrianum floruerunt, habuisse satis notum est. Praeterea quod in A. P. de Polemone et Lucillo ambigitur, hoc ita facillime explicari posse existimo, ut utriusque poetae carmina aliquando in una sylloga coniuncta fuisse statuam. Ac Polemonis quanta fuerit facultas poetica, quandoquidem alia nobis tradita non sunt, ex ep. IX 746 solo iudicare possumus, quo Platonis quod sequitur carmen serviliter imitando effinxit. Neque ingenio ex se fertiliore auctor epigrammatis V 68 fuisse videtur; nam idem argumentum Tibullus[4] simillimis versibus persequitur, sive hunc ille, sive uterque argumentum Alexan-

---

[1] De fontibus et ordine Anthologiae Cephalanae, Rh. Mus. 3 (1845) p. 553.

[2] Strab. XII p. 578.

[3] Rhoden-Dessau, Prosopogr. Imperii Rom. III p. 59.

[4] Tibull. IV 5, 13—16.

drinis acceptum imitatur. Id ergo Polemonem esse auctorem argumento esse haud scio an possit. Contra qui Lucillum hoc carmen fecisse demonstrare velit, ea re, quod Ausonius[1] epigramma in Latinum convertit, argumento non minoris momenti uti queat. Quae cum ita sint, quaestionem in medio relinquere malo. — Exploratius vero de ep. IX 55 iudicare licet, quod in Palatino in textu quidem recte lemma *Λουκιλλίου,* in margine autem *λουκιλλίου, οἱ δὲ μενεκράτους σαμίου* habet. At num Menecrates carminis auctor esset, hoc ne quaerendum quidem esse Susemihlius[2] et Reitzensteinius[3] suo iure pronuntiaverunt. Atque hic lemma margini adscriptum ita ortum esse censet, ut lemma ex epigrammate, quod antecedit, quo ipso de senectute ab aliis laudata, ab aliis vituperata a Menecrate agitur, primum delapsum, deinde a correctore Palatini cum lemmate epigrammatis IX 55 in unum contractum sit.

Quibus recensitis deinceps de epigrammatis dicendum est, quae in Planudea Lucillo, in Palatino alteri poetae assignantur. In his ep. IX 573 est, quod a Cephala lemmate *Ἀμμιανοῦ,* a scholiasta editionis Wechelianae lemmate *Παλλαδᾶ* insignitum est. Sed a Pallada Frankius[4] carmen iure videtur abiudicare. Neque magis monacho fidem habeo, cum illud *ὤνθρωφ'* apud Lucillum alibi non occurrat et vox sonusque carminis ab eo discrepet, qui in genuinis Lucilli epigrammatis est. Cephalam vero rem acu tetigisse mihi persuasum est. — Iam ep. XI 173 teste Cephala Philippi est. Verumtamen Weigandus,[5] quod totam seriem inde ab ep. XI 169—186 ex eodem florilegio promptam esse censet, Planudem secutus epigramma Lucillo adscribere mavult. Qua re adducti hanc quaestionem ita solvere conemur, ut, quam rationem Cephalas in hac undecimi libri parte componenda inierit, perscrutemur. Sumpta enim sunt:

epp. XI 110—116 ex anth. Diogeniani,
sequitur 117 Stratonis.

---

[1] epigr. 82 Sch.
[2] Gesch. d. griech. Lit. in der Alexandrinerzeit, II p. 548 ann. 158
[3] Epigramm u. Skolion p. 98. [4] l. l. p. 21.
[5] l. l. p. 553.

epp. XI 118—157 ex anth. Diogeniani,
sequitur 158 Antipatri.
epp. XI 159—167 ex anth. Diogeniani,
sequitur 168 Antiphanis.
epp. XI 169—172 ex anth. Diogeniani,
sequitur 173 Philippi.
epp. XI 174—194 ex anth. Diogeniani,
sequitur 195 Dioscoridis.

Qua re planum fit Cephalam, quotienscumque nonnulla epigrammata ex Diogeniani florilegio petita in seriem composuerat, iis semper carmen plus minusve cognatum ceterisque e syllogis depromptum annexuisse atque ita complura epigrammata non tam scoptica, quam exhortatoria vel demonstrativa in librum undecimum irrepsisse. Itaque cum ne ep. XI 173 quidem generis scoptici sit, Philippum auctorem esse mihi constat. — Atque ep. XI 186 in cod. Pal. Nicarcho vindicatur; sed Leonidae editiones antiquae Planudeae, Lucillo posteriores attribuunt. At priusquam demonstratum non erit Leonidam epigrammata quoque, quae non *ἰσόψηφα* sunt, scripsisse — id quod Stadtmuellerus[1] et Radingerus[2] confidenter negant —, hunc omnino omittendum esse putabo. Atque a Lucillo, quamquam carmen ab eius ingenio minime abhorrere concedendum est, tamen, quod nomen Demophili in carminibus eius numquam invenitur, epigramma abiudico. Accedit, quod ex ceteris quoque Nicarchi poematis, quam arte Lucilli vestigia secutus sit, cognoscitur. Neque Cephalam, nisi ab auctoribus fide dignis nomen accepisset, post seriem epigrammatum Lucillianorum novum lemma *Νικάρχου* scripturum fuisse credi potest. — Cod. Palatinum Marciano praestare epigrammate quoque, quod sequitur, planum fit. Neque enim Simyli nomen apud Lucillum invenimus et epigramma *ἰσόψηφον* esse Radingerus[3] ostendit. Quin igitur Leonidae sit, non dubito. — Ep. XI 281 autem in cod. Pal. Palladae adscriptum invenimus: *εἰς Μᾶγνον ἰατροσοφιστήν*. Atque vitam Magni cuiusdam quarto post Chr. n. saeculo exeunte

[1] Zur Anthologia Palatina, Jahrb. f. Philol. 139 (1889) p. 769.
[2] l. l. p. 296. [3] l. l. p. 301.

Alexandriae artem medicinam professi Eunapius[1] composuit. Quodsi Haeserus[2] in hunc Magnum epigramma iure rettulit — neque esse, cur de hac re dubitemus, Frankius[3] docet —, nemo alius nisi Palladas carmen pepigit. Ceterum de Lucillo cogitandi vel ideo nihil loci est, quod nomen Magni in carminibus eius non reperitur. Atque hac re ita diiudicata simul de ep. XI 282, quod in Palatino cum carmine, quod antecedit in unum contractum invenimus, disceptatum est. Planudes quidem distichis iure disiunctis ratione constanti hoc epigramma ipsum Lucillo tribuit; mihi eiusdem constantiae utendae facultas eo datur, quod Palladas in ep. X 59 eandem sententiam tractat. — Atque ep. XI 293 in Pal. ipsum quoque Palladae addictum est. Quod utrum recte factum sit necne, haud facile est decidere, cum sermonis ansas, quibus auctorem tenere possimus, carmen non praebeat. Neque scio, an ea res, quod non Olympii quidem, sed tamen Olympici (XI 75, 76, 162) vel Olympi (XI 161) nomen Lucillus habet, ad litem secundum Marcianum contra Palatinum dandam non sufficiat. Quae cum ita sint, quaestionem in medio relinquo. — At epigramma XI 330, quod in Pal. lemmate *Νικάρχου* ornatum est, cum Planude Lucillo tribuere non dubito. Nam nomen Demetrii in ep. XI 101 quoque occurrit. Deinde verbum *ποιεῖν* vim degendi etiam in ep. XI 85, 1 habet et illud *οὐδ' ἂν ἐσώθην* eodem versus loco in ep. IX 572, 7 quoque habemus. Accedit etiam, quod Ganymedis a Iove rapti in Lucilli ep. XI 88 mentio fit. — In ep. XI 372 denique, quo complura argumenta a prioribus poetis tractata uno carmine colliguntur, astricta illa verborum comprehensio, quae sicut nota quaedam genuinis Lucilli epigrammatis scopticis propria est, prorsus desideratur. Quod sine dubio serioris imitatoris neque ab iis alienum est, quae Agathias Scholasticus fecit. Huius ergo cum Cephala epigramma esse puto.

Iam ad ea epigrammata examinanda progrediamur, quae, cum in Palatino nomine auctoris careant, solo a Planude Lucillo adscribuntur. Sunt autem haec: IX 574; XI 111—116,

---

[1] Eunap. ed. Boissonade I p. 102 et 412.

[2] Geschichte der Medizin I p. 387, Jena 1875.

[3] p. 40 sq.

316, 394. Atque ep. IX 574 et propter nomen Anaxidis a Lucillo nusquam adhibitum et propter structuram tertii versus mendosam a Lucillo abiudico. Nam cum ille in rebus metricis primariorum scriptorum usum diligentissime secutus sit, ignotus huius carminis auctor aut sola bucolica incisione versum tertium divisit aut post praepositionem *ἐπί* caesuram semiquinariam admisit. Utrumque autem a consuetudine bonorum poetarum abhorrere inter omnes constat. — Epp. XI 111—116 et in Palatino et in Marciano eodem ordine inter se excipiunt. Quae omnia a Cephala quoque uni et eidem auctori attributa esse vel inde elucet, quod in Palatino inde ab ep. XI 112 omnia lemmate *τοῦ αὐτοῦ* ornata sunt. Quod autem lemma Palatini scriba supra ep. XI 111 neglegentia omiserit, nisi ex epigrammatis ipsis eruere non possumus. Atque haec haud parva aut numero aut pondere argumenta praesto sunt demonstraturis ad unum omnia Lucilli esse. Nam praeterquam quod Ausonius[1] epp. 113 et 114 Latine reddidit, nomina Diophanti, Marci, Demostrati, Olympici, Dionis, Hermogenis iterum ac saepius apud Lucillum scripta sunt. Nec raro vel complura verba in iis sunt, quae iam in aliis Lucilli epigrammatis plerumque eodem versus loco scripta invenimus. Quo in numero illud *αὑτὸν ἀπηγχόνισεν* (111) est, quod in ep. XI 264 iteratur. Deinde illud *ἥν τιν' ἔχῃς* (115) paululum mutatum in *εἴ τιν' ἔχεις* in ep. XI 295 est, et cum verbis *πάλαι ποτὲ, δέσποτα Καῖσαρ* (116) confero *πόλιν ποτὲ, δέσποτα Καῖσαρ* (XI 185). Illud *ὡς λόγος* denique ad versum complendum usurpatum in epp. XI 116 et 239 occurrit. Adde huc, quod in ep. 116 poeta Caesarem alloquitur et omnibus his carminibus argumenta, quae Lucillus in deliciis habet, tractantur: nihil dubii relictum esse concedes, quin tota epigrammatum series cum Planude Lucillo adscribenda sit. — Contra in epp. XI 316 et 394 auctoribus suis attribuendis res haud pariter ab opinionis arbitrio seiunctae sunt. Atque ep. XI 316 quidem, quod illud *ἦλθ' ὁ παλαίστης* eodem versus loco in ep. XI 163, 1 quoque scribitur, nescio an Lucilli sit. Sed ut etiam ep. XI 394 eiusdem esse putem,

[1] epigr. 69 et 70 Sch.

a me impetrare non possum. Etenim in eo haereo, quod cum ep. XI 137, ubi simile argumentum a Lucillo tractatur, comparatum hoc carmen satis frigidum esse videtur.

D. Extrema huius capitis parte de nonnullis epigrammatis dicendum est, quae, quamquam in anthologiis Luciano Samosatensi vindicantur, tamen Lucilli esse pro certo habeo. Quorum plurima iam Engelus[1] argumentis ex genere dicendi elicitis eaque re subnixus, quod propter miram litterarum similitudinem lemmata *ΛΟΥΚΙΑΝΟΥ* et *ΛΟΥΚΙΛΛΟΥ* a librariis facillime confundi poterant, Lucillo restituit. Atque has Engeli quaestiones redintegrans dilatansque Settius[2], vir doctus Italus, omnia, quae Luciano attribuuntur, epigrammata spuria esse demonstrare conatus est his rebus adductus: primum ex iis quinquaginta duobus epigrammatis, quae in anthologiis Luciano adscribuntur, ne unum quidem in multis illis codicibus inest, qui opera illius scriptoris maxime lectitati imitandique cupiditatem excitantis nobis tradiderunt. Deinde haec epigrammata, si vere Luciani essent, spectata utriusque aetate Diogeniani florilegio vix inserta fuisse possent, Cephalas autem ea ex sylloga satis obscura deprompsisse putandus est; quod ita se habere vel eo probatur, quod inter omnia haec poemata non plus quam duodeviginti sunt, quorum lemmata in utraque anthologia inter se non differant. Accedit, quod versificator in epigrammatis haud paucis, quae aut ab usu aut a praeceptis metricis abhorreant, admisit. Tantum ergo abest, ut Luciani, elegantissimi illius scriptoris, carmina esse putem, ut plurima eorum cum Settio et Bielero[3] serioris aetatis fetus ideoque Luciano adscripta esse suspicer, quod nonnullae sententiae Lucianeae in iis inventae erant. Sed utut est, ad meam quaestionem persolvendam hanc rem ita pertinere puto, ut propter nominum similitudinem a librariis interdum lemmata confusa sint.

In his imprimis epp. XI 400—405 sunt. Quae carmina in Marciano non in hanc seriem redacta, sed per totum librum

[1] De quibusdam Anth. Gr. epigr. commentatio, Festschrift des Gymn. Elberfeld, 1875.

[2] Gli epigrammi di Luciano, Rivista di filol. 20 (1892) p. 233 sqq.

[3] Wochenschrift für class. Phil. 1892 col. 921 sq.

dispertita sunt. Neque lemmata Marciana cum Palatinis congruunt. Nam solum ep. XI 400 in Planudea ut Luciani fertur, 401 Agathiae attribuitur, 403—405 *ἀδέσποτα* sunt. Ep. 402 quoque, quamquam in nostris Planudeae editionibus vulgo lemma *Ἀγαθίου* habet, *ἀδέσποτον* est. Ostendit enim Stadtmuellerus[1] hoc lemma, cum codex ipsius monachi manu scriptus epigramma nudum praeberet, errore librariorum, qui codicem in exemplaria transscriberent, exortum esse. Quare lemmatis tam discrepanter traditis prorsus diffidendum esse manifestum est. Sed Cephalam uni et eidem poetae omnia epigrammata assignavisse, id saltem series Palatina nos docet. Hunc autem fuisse Lucillum carmina ipsa extra controversiam ponunt. Nam et nomina Erasistrati, Diophanti et illud Homeri *μῆνιν ἄειδε θεά* (400) saepenumero apud ipsum Lucillum invenimus. Etiam maiorem persuadendi vim habet, quod ut primo versu ep. XI 136 sic quinto et sexto versibus ep. XI 400 versus Aratei[2] parodice perstringuntur. — Deinde ep. XI 401 insertis versibus Homericis eaque re, quod idem argumentum tractans Lucillus ep. XI 116 quoque (cf. imprimis *εἰς Ἀιδὸς κατέπεμψε*) indoctum medicum ludificatur, eiusdem esse enucleatur. — Neque minus epp. 402 et 403 Lucilli sunt. Nam verba *κατασπαταλᾶν, ἐκτραπέλως, μισόπτωχος* a Lucillo novata sunt. Cum illo *στομάχων κακά* illud *ἔργα κακοστομάτων* (XI 155, 4), cum verbis *κακὰ χείρονα* illud *χεῖρον κακόν* (XI 143), cum illo *πρὸς πόδας ἐρχομένῃ* verba *πρὸς πόδας ἐρχόμεθα* (XI 11,6) confero; etiam illud *ἀχάλκεον οὐδὸν* (403,7) ex Homeri[3] verbis *χάλκεος οὐδος* recoctum Lucillum indicat. — Nec minus epp. 404 et 405 genuina Lucilli carmina puto. Nam argumentum epigrammatis 404 hic etiam ep. VI 166 tractavit. Ep. 405 cum Engelo,[4] qui de hac re fusius disputavit, vel ob eam causam a Luciano abiudico et Lucillo attribuo, quod Nicarchus carmen leviter variatum mutatumque ep. 406 imitatus est. Atque hanc rationem inter epp. 405 et 406 intercedere ne Cephalam quidem praeterisse inde apparet, quod epigramma imitatione effictum, ut facere solet,

---

[1] Berliner philol. Wochenschrift 1893 col. 101 sqq.

[2] cf. Arati Phaen. v. 131 et v. 2—4.

[3] Hom. *Θ* 15 et *η* 59.

[4] l. l. p. 8.

postscripsit exemplo. Cephalae ergo, cum Lucianus multo post Nicarchum floruerit, Lucillum carminis 405 auctorem esse constabat. Quae res cum ita se habeat, relinquitur, ut lemma *Λουκιανοῦ* librariorum errore ortum esse putemus.

Atque indidem lemma ep. VI 164 ortum est. Nam primum poeta ipse se Lucillium nominat. Deinde aeque atque ep. VI 166 formam epigrammatum dedicatoriorum imitatur. Accedit, quod ut hic *σωθεὶς ἐκ πελάγους,* ita in ep. VI 166 *σωθεὶς ἐκ ναυτῶν* et ep. XI 258 *σωθεὶς ἐκ Νεμέας* eodem versus loco leguntur. — Praeterea etiam ep. VI 17 a Geffckeno[1] iure putatur esse Lucilli, quem impura argumenta minime repudiavisse epp. XI 79, 139, 216 alia patefaciunt. Nam hoc quoque carmine formam epigrammatum dedicatoriorum peculiarem et ab Alexandrinis saepius quam ferri poterat usurpatam[2] parodice perstrinxit. — Atque dedicatoriorum formam etiam in alio epigrammate deprehendimus, quod a Planude solo traditum Lucianoque adscriptum tamen Lucilli esse certum est. Dico carmen, quod in anth. Plan. IV 238 scriptum videmus. Nam nomen Eutychidis et illud *νόμου χάριν* saepissime in Lucilli carminibus occurrit (velut utrumque in ep. XI 141). Atque alterius distichi argumentum Lucillus epp. XI 176 et 177 quoque persecutus est. — Etiam ep. XI 397, quod in Planudea *ἄδηλον* est, quamquam a librario cod. Pal. per errorem Luciano vindicatur, Lucilli est. Nam in magno numero eorum est, quibus poeta insectatur avaritiam (cf. XI 165, 171, 172, 264, 294, 309). Ad nomen Artemidorae cf. ep. XI 101. Praeterea verbo *ψηφίζειν* etiam XI 171, 3 et 172, 2 utitur, verbis *ὑπὲρ νώτου* etiam XI 392, 1. — Deinceps de ep. XI 408 iudico. Atque hoc quoque Lucilli[3] est, qui idem argumentum in epp. XI 68 et 69 tractavit. Ut hic *κεφαλὴν βάπτειν,* ita illic *τὰς τρίχας βάπτειν* poeta dicit et oppositum illic *Ἑλένης* — *Ἑκάβης* illud *νέα* — *Ῥέα* (XI 69)

---

[1] Studien zum griechischen Epigramm, N. Jahrb. f. d. klass. Alt. 39 (1917) p. 116.

[2] cf. p. 43.

[3] Quartum huius carminis versum et Pollux (V 102), ubi pro *κατα Λοκρὸν* potius *κατὰ Λούκιλλον* legendum est, et Greg. Naz. (I 2 carm. 29, 4) afferunt.

in memoriam reducit. Accedit, quod Planudes poema Lucillo re vera vindicat. — Optimo denique iure Stadtmuellerus[1] ep. VI 24, quod in Pal. et Plan.^{M} auctoris nomine caret, in Plan.^{E} *ἄδηλον* est, Lucillo tribuit. Nam eadem, quae hoc carmine de infortunato piscatore, mutatis mutandis XI 194 de venatore dicuntur. Praeterea nomen Heliodori saepissime apud Lucillum et verba *τὸ μάτην* etiam XI 210, 3 inveniuntur.

Quibus perquisitis genuinis Lucilli epigrammatis supra (p. 3) enumeratis haec adicienda sunt:

A. P. VI 17	XI 95	XI 212	XI 308
„ 24	„ 101	„ 214	„ 310
IX 55	„ 111—116	„ 217	„ 313
„ 572	„ 132	„ 234	„ 314
X 122	„ 137	„ 239	„ 316
XI 10	„ 139	„ 240	„ 330
„ 80	„ 140	„ 265	„ 388
„ 81	„ 142	„ 294	„ 397
„ 89	„ 155	„ 295	„ 400—405
A. Plan. IV 238.			„ 408

[1] Anth. Gr. I p. 237.

Caput II.

Quae ex epigrammatis ipsis de auctoris persona cognoscamus.

His satis cognitis deinceps, ut erat propositum, quaerendum est, quid de epigrammatum auctore sciamus. Qua in re hanc rationem inire mihi in animo est, ut primum, quae carmina de auctoris persona ostendant, conquiram, deinde in quem haec optime cadant, circumspiciam. Quod in hoc capite non semel plura argumenta afferuntur, quam satis in usum videantur esse, hanc rem eo defendi arbitror, quod ea epigrammata, quae adhuc falso accepta sunt, hoc loco, ubi commode fieri poterit, rectius interpretanda mihi videntur esse.

§ 1.

De nomine poetae.

Atque initium faciamus a nomine poetae. Qui in ep. VI 164, 3 et XI 196, 3 se ipse *Λουκίλλιον* nominat. Haecine Graeca forma Lucilii, nominis gentilicii Romani, est? Atque in variis codicibus Plutarchi, qui hoc nomen Romanum ter[1] exhibet, *Λουκίλιος* modo simplici, modo geminata littera l scribitur; quin tanta fuit librariorum inconstantia, ut idem librarius in eodem codice tum *Λουκίλιος*, tum *Λουκίλλιος* scripserit; idem fere in Appiani[2] codicibus observamus, quamquam hic plerumque *Λουκίλιος* legimus. Quare quomodo Plutarchus et Appianus hoc nomen ipsi exaraverint, ex codicibus librariorum manu in hac re certe depravatis cognosci

[1] Pomp. 54, Brut. 50, Ant. 69. [2] b. c. IV 129.

nequit. Quae cum ita sint, huic quaestioni inscriptiones solae lumen afferre possunt. Atque nomen Lucilii litteris Graecis scriptum in inscriptionibus quater decies inveni:

1. *Λουκίλιος Ἰανουάριος* (Neapoli)[1]
2. *Λεύκιος Λευκίλιος* (Prienae)[2]
3. *Γάιος Ἰούλιος Λευκίλιος* (in Phrygia)[3]
4. *Μάνιος Λευκέλιος* (S. C. Adramytt.)[4]
5. *Λοκίλιος* (saxo prope Biban-el-Muluk incis.)[5]
6. *Λουκείλιος Παυλεῖνος* (Cyzici)[6]
7. *Γ. Λουκίλιος Βίτλος* (Cyzici)[7]
8. *Μάαρκος Λοκίλιος Κοίντου* (in Delo insula)[8]
9. et 10. *Λουκιλία Γαίου Λουκιλίου θυγάτηρ* (Trallibus)[9]
11. *Λοκιλία* (Thessalonicae)[10]
12. *Μαρκία Λουκιλία* (in Sicilia)[11]
13. *Λουκιλία Σῶσις* (in Aegyto)[12]
14. *Λουκειλία Πρῖμα* (incerti loci)[13]

Ex eo igitur, quod his inscriptionibus omnibus id commune est, ut nomen *Λουκίλιος* sine ulla exceptione simplici littera l scriptum sit, mihi licere puto concludere illud *Λουκίλλιος,* quod iuxta formam *Λουκίλιος* in codicibus invenitur, librariorum inscientia ortum esse et hanc nominis simplici littera l scribendi rationem rectam usitatamque fuisse. Quare si poetae, quem grammaticum fuisse infra demonstrabitur, nomen Lucilius fuisset, certe id ei tribuendum esse puto, ut nomen suum recte scribere sciret.

Iam vero lemmata cod. Palatini, cuius simulacrum[14] consului, modo *Λουκίλλου,* modo *Λουκιλλίου* praebent. Atque habent:

---

[1] I. G. XIV n. 717.
[2] Hiller de Gaertringen, Inschriften von Priene n. 111 136 et 147.
[3] C. I. G. III add. n. 3858d. [4] Eph. epigr. IV p. 215, 24.
[5] Preisigke, Sammelbuch griech. Urkunden I (1915) n. 1778.
[6] Ath. Mitt. IX (1884) p. 18. [7] ibid. XIII (1888) p. 304.
[8] Eph. epigr. V n. 1408.
[9] Bulletin de corresp. hellénique XI (1887) p. 218.
[10] ibid. VIII (1884) p. 463. [11] C. I. G. III n. 5714.
[12] ibid. add. n. 4753. [13] ibid. n. 6952.
[14] Codices Graeci et Latini photographice depicti duce Scatone de Vries vol. XV (1911).

Λουκιλλίου	Λουκίλλου		
V 68	XI 68—69	XI 174—179	XI 253—254
VI 166	„ 75—81	„ 183—184	„ 256—257
IX 55	„ 83—85	„ 185	„ 258
„ 572	„ 87—95	„ 189	„ 266
X 122	„ 99—101	„ 190—191	„ 276—277
XI 10—11	„ 103—107	„ 192	
„ 216—217	„ 131—137	„ 194	
„ 249	„ 138—140	„ 196—197	
„ 259	„ 141—143	„ 205—208	
„ 264—265	„ 148	„ 210—211	
„ 278	„ 153—155	„ 214—215	
„ 294—295	„ 159—161	„ 233—234	
„ 308—315	„ 163—165	„ 239—240	
„ 388—393	„ 171—172	„ 245—247	

In codice ergo Palatino triginta Lucilli epigrammatis quater decies lemma *Λουκιλλίου*, nonaginta tribus carminibus tricies ter lemma *Λουκίλλου* superscriptum est. Ac forma *Λουκίλλου* in undecimo tantum libro occurrit, ubi poetae carmina longis seriebus inter se excipiunt; forma *Λουκιλλίου* tum imprimis legitur, cum singula epigrammata ceteris anthologiae Pal. libris inserta sunt. Quin etiam ep. XI 196, ubi poeta mulierculam vocativo *Λουκίλλιε* ipsum facit alloquentem, lemma *Λουκίλλου* habet; eademque nominis forma in illo *ἀνάθημα Λουκίλλου* servata est, quod, quamquam auctor huius carminis se ipse *Λουκίλλιον* nominat et errore librarii iustum lemma *Λουκίλλου* in *Λουκιανοῦ* mutatum est, epigrammati VI 164 explicandi causa adscriptum videmus. Praeterea cod. Marcianus nihil nisi *Λουκίλλου* exhibet. Quae omnia fieri non potuisse arbitror, nisi forma *Λουκίλλου* iam librariis memoria fide dignissima obvenisset.

Atque nomen *Λούκιλλος*, quod innumerabilia fere serioris demum temporis nomina Graeca in *-ιλλος* exeuntia velut *Ἄρχιλλον, Ἐπόκιλλον, Εὔφριλλον, Ζώιλλον, Ἥριλλον, Θύιλλον,*[1]

---

[1] Hic Thyillus, qui Romae versabatur, aeque atque Archias poeta Graecus et familiaris Ciceronis erat. Cuius ex carminibus tria epigrammata in A. P. etiam hodie exstant. (cf. Haupt, Opusc. III p. 408 sqq.)

Κύριλλον, Μέγιλλον, Πέριλλον, Πτώιλλον, Σόφιλλον, Τέρψιλλον, Τήριλλον, Χάριλλον, Χώιλλον alia imitando formatum est, ipsum quoque in catalogo epheborum Atheniensi[1] invenitur, ubi *Λούκιλλος Παραμόνου, ἔφηβος φυλῆς Ἀντιοχίδος* commemoratur. Praeterea grammatico Cretensi haud ignobili, quo de infra fusius disputabitur, nomen *Λούκιλλον* fuisse notum est. Atque illis serioribus temporibus Graecos nomen *Λούκιλλον* in loco nominis vere Graeci habuisse inde apparet, quod et hoc aeque ac nomina de vocabulis vere Graecis flexa deminuebatur. Nam ut ex *Ζώιλλος* nomen deminutivum *Ζωιλᾶς*, ex *Κύριλλος Κυριλλοῦς*, ex *Κάσυλλος Κασυλλᾶς*,[2] ita ex *Λούκιλλος* formabatur *Λουκιλλᾶς*.[3]

At — iam audio haud paucos vociferantes — quanam re commotus epigrammatum auctor, si vere ei nomen Lucillo erat, hoc in Lucillium ipse commutavit? Cuius rei singularis causam esse metricam haud difficile est cognitu. Aptissimus enim versus locus, quo eius, quem alloquitur, nomen poeta ponat, inter ipsam caesuram semiquinariam vel trochaicam et incisionem bucolicam videtur esse, quibus sectionibus id morae, quod in sermone ante nomen eius, quem alloquimur, pronuntiandum et post facere solemus, in versu quoque interponendi copia data sit. Itaque hoc versus loco nomina eorum, quos compellat Lucillus, plerumque[4] occurrunt. Cui si nomen Lucilius fuisset, Graecam formam *Λουκείλιε* vel *Λουκῖλιε*, quae hanc versus partem plane expleret,[5] nullo negotio adhibere potuisset. Sed nomen Lucilli habuit, quare forma *Λούκιλλε* brevi syllaba augenda id est in *Λουκίλλιε* mutanda erat, ne caesura *κατὰ τέταρτον τροχαῖον* Graecis poetis ingrata efficeretur. Quod exemplum vocis versui adaptatae in litteris Graecis minime singulare aut rarum est. Nam ipsum Homerum haud nefas habuisse contra sermonis leges

---

[1] I. G. III[1] n. 1197. [2] Vide Preisigke, Namenbuch (1922) s. v. v.

[3] Wilcken, Ostraca n. 1164.

[4] cf. epp. XI 11, 76, 79, 90, 112, 115, 136, 153, 205, 206, 207, 214, 246, 247, 259, 330, 388, 392, 402.

[5] Nomen Lucilius ionice (— — ⏑⏑) metiendum esse ex Hor. sat. I 3, 6 et saepius, Pers. I 114, Iuvenal. I 165, Martial. XI 90, 4 et XII 94, 7 cognoscitur.

usu ac consuetudine stabilitas metri causa peccare iam veteres grammatici, in his imprimis Ptolemaeus Ascalonita,[1] Trypho,[1] Herodianus[2] observaverunt studioseque annotaverunt. Quorum vestigia secutus Meister[3] nuper ostendit Homerum praecipue tum, cum vox, quae bucolicae incisioni antecederet, versui resultaret, facticium quidem, sed dactylicum illius vocis exitum ita fabricari, ut — aeque ac Lucillus — ante *-ος* ultimae syllabae plerumque litteram i infigeret. Qua ratione Meister id suo iure explicavit, quod Homerus pro *πανδημός* — *πανδήμιος* (σ 1), pro *Αἰτωλός* — *Αἰτώλιος* (Δ 399 et Ε 706), pro *δαφοινόν* — *δαφοινεόν* (Σ 538), pro *ἄεθλον* — *ἀέθλιον* (ϑ 108, φ 62 saepius) dicit. Ab eodem *Πάτροκλος* hoc versus loco vocativo *Πατρόκλεες* (Π 7, 49, 126 saepius) appellatur, ac perfidus Ulixis caprarius et *Μελανθεύς* (φ 176) et in versu, qui praecedit, *Μελάνθιος* nominatur. Hae autem voces, quas ad Homericum[4] usum illustrandum attuli, ad nostram quaestionem solvendam propterea permagni momenti sunt, quod omnes e brevi syllaba et duabus longis constantes numero bacchiaco aut — ut *Λούκιλλος* — palimbacchiaco sunt. Inde iam Homerum, ut eas ante ipsam bucolicam incisionem versui insereret, idem atque Lucillum ausum esse planum fit.

Atque similia cum apud alios[5] poetas, tum apud epigrammatum scriptores, ut quibus aut sua ipsorum aut aliorum hominum nomina metri vinculo astringenda essent, occurrere consentaneum est. Nam praeterquam quod Agathias (IX 662, 5), ut nomen suum versui insereret, paenultimam producere non dubitavit, Palladas in ep. IX 380 ob rationem metricam Palladium se nominat. Praeterea Crinagoras (IX 349) aquas Cutilias, quae a Graecis *ὕδατα Κουτίλια*[6] vel *Κωτίλια*[7] vocari solent, *ὕδατα Κοτίλεια* appellat, Erycius (VI 234) *Τύμωλος* pro *Τμῶλος*, Alcaeus (VII 1) *Λαρτιάδεω* ob metri commoditatem

---

[1] apud Eustath. ad E 359. [2] ad B 731, I 73, O 554, γ 380.

[3] Die homerische Kunstsprache (1921) p. 12 sqq.

[4] alia nomina propter metrum ab Homero mutata affert Holzinger, Lykophrons Alexandra p. 29 ann. 31.

[5] de Aeschylo: Etym. M. s. v. *Ἄμφις*; de Sophocle: Hephaestio p. 4[1] Consbr.

[6] Dio Cass. 66, 17. [7] Strab. V p. 28.

dicit. Diodorus vero grammaticus in epigrammate „*εἰς Ῥουφίνου τινὸς γυναῖκα Παῦλαν Ταραντίνην*“ scripto (VII 700) pro *Ῥουφῖνος* — *Ῥουφίνιος*[1] aut, ut Stadtmuellerus vult, *Ῥουφιανός* dicere audet. Sed etiam magis nos expedient haec: *Μακεδόνιος* in ep. IX 649, 4 nomen suum metri causa in *Μακηδόνιος* mutavit. Quo factum est, ut carminibus eius, quae permulta in anthologia exstant, modo lemma *Μακεδονίου*, modo *Μακηδονίου* superscriptum sit; verum Suidas[2] rectam nominis formam prodidit. Ex his igitur, quae contuli, exemplis discimus haec: primum licentiam eius rei, quod poeta nomen *Λούκιλλος* in *Λουκίλλιος* mutavit, exemplo Homeri aliorumque poetarum satis superque excusari; deinde deformatam nominis formam *Λουκιλλίου* ex illis duobus epigrammatis, in quibus poeta ipse se ita nominat, in lemmata se aliquo modo insinuavisse, praesertim cum haec forma in libri XI epigrammatis post 196 demum frequentius appareat.

Sed ad hanc nominis mutandi rationem, quam metri necessitatis excusatione defendi, nescio an etiam alia causa poeta adductus sit. Apollonio enim Tyaneio[3] teste Graeci, qua erant facilitate sui aliis gentibus assimulandi, priscis maiorum nominibus Romana nomina potiora habere illis temporibus magis magisque consueverunt, quod illum iure vituperavisse tituli imperatorum aetate exarati testantur. Atque etiam id, quod inde a Caesarum aetate nomina Graeca litteris *-ιος* terminata alia ac rursus alia novari non desita sunt, Hatzidakis[4] approbante Thumbio[5] eo explicavit, quod nomina gentilicia Romana exemplo fuissent, praesertim cum etiam supernomina, quae dicuntur, sive signa tum novata maximam partem in -ius exirent. Quam rem nonnullis illustrabo exemplis. Atque in inscriptione bilingui in Ponto reperta centurio *Οὔλπιος Χάριστος*, quem genere Graecum fuisse ex cognomine cognoscimus, commemoratur.[6] Idem autem in versione Latina Ulpium C a r i u m se nominat. Ac nescio an etiam

---

[1] cf. Iacobs, Anth. Gr. vol. III (1817) p. 396.

[2] s. v. *Ἀγαθίας*.

[3] Philostr. Ap. Tyan. epist. 71.

[4] *Ἀθηνᾶ* XII (1900) p. 285 sqq.

[5] Die griechische Sprache im Zeitalter des Hellenismus (1901) p. 154.

[6] Hahn, Rom und Romanismus (1906) p. 158 ann. 2.

exemplum Aurelii Opilli[1] grammatici, quod hoc loco afferatur, idoneum sit. Nam Opillus hic, quem Suetonius falso Opilium nominat, in parastichide libelli, qui inscribebatur Pinax, cognomen suum Oscum[2] in Opillium[3] mutavit. Sed exemplum nihil dubii relinquens ex defixionum tabellis afferre possum, ubi agitator *Γρηγόριος ὃς καὶ Ἀσέλλος ὁ υἱὸς Ἀσέλλας* commemoratur;[4] idem autem in altera[5] tabula *Γρηγόριος ὃς καὶ Ἀσέλλιος ὁ υἱὸς Ἀσέλλας* nominatur. Eidem ergo homini nomen *Ἀσέλλος* et *Ἀσέλλιος* sine ullo discrimine inditur. Quam rem Lambertzius[6] suo iure ita explicavit, ut formam *Ἀσέλλιος* nomina gentilicia Romana imitando effictam esse neque quidquam inter *Ἀσέλλος* et *Ἀσέλλιος* interfuisse declararet, nisi quod forma in *-ιος* exiens illis Romanis temporibus ut novicia magis placeret. Quae cum ita sint, eodem modo explicandum videtur, quod, cum cognomen Tertulli Graecis litteris *Τέρτυλλος* scribatur,[7] in titulo[8] civi Alexandrino nomen *Δομίτιος Τερτύλλιος* est et in inscriptione Corcyraea[9] Romanorum aetate exarata pro *Ζώιλλος*, genuina nominis forma, *Ζωίλιος* legitur. Eiusmodi autem formas nominibus gentiliciis Romanis assimulatas inter scriptores Graecos praecipue Plutarchus videtur amavisse. Nam homo Phocius ab eo *Βαθύλλιος*, non *Βάθυλλος* nominatur.[10] Lictori vero Opimii consulis apud Appianum[11] cognomen *Ἀντύλλος*, apud Plutarchum[12] *Ἀντύλλιος* est. Praeterea cognomen Rebili, quod ab Appiano[13] *Ῥέβιλλος* scribitur apud Plutarchum[14] in nomine Caninii Rebili formam *Ῥεβί-*

---

[1] Hanc solam nominis formam rectam esse et Buechelerus (Jen. Lit. Ztg. 1874 p. 609 et Rh. Mus. 30 [1875] p. 446) demonstravit et ex iis, quae infra disputabo, apparebit. Cf. etiam Schulze, Zur Gesch. lat. Eigennamen, p. 462 ann. 3.

[2] Buck-Prokosch, Elementarbuch der Oskisch-Umbrischen Dialekte (1905) n. 29 et 30 p. 145.

[3] Sueton. de grammat. 6.

[4] apud Audollent, Defixionum tabellae n. 165. [5] ibid. n. 166.

[6] Zur Ausbreitung des Supernomen oder Signum im römischen Reiche, Glotta 4 (1913) p. 105 sq.

[7] C. I. G. III n. 4377 et Zosim. VI 7. [8] C. I. G. II add. n. 2414 e.

[9] C. I. G. II 1849 b. [10] mul. virt. 244 c vol. II p. 202, 3 B.

[11] b. c. I 25. [12] C. Gracch. 13. [13] b. c. V 101.

[14] Caes. 58.

λιος habet. Quintillus denique imperator a Zosimo[1] recte *Κύντιλλος,* ab Joanne Antiocheno,[2] qui hunc Zosimi locum decerpsit, *Κυντίλιος* nominatur. Item Lucillo Tarrhaeo, quem supra (p. 22) commemoravi, in Ammonii editione Frelloniana nomen *Κίλλιος ὁ Ταῤῥαῖος* sine dubio ex *Λουκίλλιος* depravatum inditum[3] est. Praeterea Lambertzius frequentissimis exemplis allatis ostendit[4] peregrinos, cum cives Romani fierent aut in urbe Roma sedem collocarent, iis, qui circa erant, ita se assimulavisse, ut nomini suo vernaculo Romanum nomen adderent. Quae cum ita sint, Lucillum, cum nomen suum in Lucillium mutaret, ei colorem Romanum inducere voluisse par est conicere.

Ac nescio an etiam altera re poeta, ut *Λούκιλλος* in *Λουκίλλιος* mutaret, commoveri potuerit. In plebeio enim sermone Latino litteras ll mollitas, ut ita dicam, et proinde ac si lj scriberetur, elatas esse constat, cuius pronuntiationis vestigia Herbigius[5] ex inscriptionibus iam tertio a. Chr. n. saeculo exaratis nuper indagavit. Utiliora autem nobis exempla Schuchardtii[6] sunt, qui „bellia“ pro „bella“, „castelium“ pro „castellum“ aut vice versa „papillo“ pro „papilio“, „Illades“ pro „Iliades“, „exillum“ pro „exilium“ sermone plebeio influente scriptum esse ostendit. Quare quoniam Lucillum in urbe Roma habitasse et sermonis cotidiani formis vulgaribus saepissime in carminibus usum esse infra videbimus, quis id quoque fieri potuisse neget, ut nomen suum, quemadmodum plebis ore enuntiatum audiret, ita etiam scriberet?

Ex iis igitur, quae iam considerata sunt, quod Lucillus nomen suum in Lucillium mutavit, non solum offensionem non habere planum fit, verum etiam poetam ex Graeca patria in regionem, ubi Latina lingua praevalebat, transmigrasse haud scio an colligi possit. Num ex Graeca patria? Siquidem Graecus erat, id quod nondum scimus. Quamobrem in hac quaestione,

---

[1] Zos. I. 47. [2] F. H. G. IV p. 599 frg. 154.

[3] Ammon. ed. Valck. p. 9 ann. 31.

[4] Glotta 4 (1913) p. 115 sqq. et ibid. 5 p. 108.

[5] Zur Mouillierung des l im Vulgärlateinischen, Glotta 5 p. 251 sqq.

[6] Vokalismus des Vulgärlateins, II p. 489. Cf. etiam Diehl, Vulgärlateinische Inschriften (1910) n. 606 et 1414.

quamvis pusilla esse prima specie videretur, aliquantulum versari pergamus. Apud Romanos enim inde ab Augusti temporibus nomenclatio ita fiebat, ut ingenui, libertini, servi ipsis nominibus internoscerentur.[1] Quo magna spe afficimur fieri posse, ut quomodo haec nomina usurpata fuerint perscrutantes de condicione quoque eorum, quibus indita erant, aliquid nobis utile investigemus. Etenim Romanos ipsos syllabas -illus vernaculis nominibus agglutinavisse idque tum imprimis, cum quem blande alloqui volebant, ex Catulli carmine 45. discimus, ubi puella Septumium (cf. v. 1 et 21), adulescentem amatum, blandidice „Septumille" appellat (cf. v. 13). Nomina quoque muliebria in -illa exeuntia velut Drusilla, Livilla, Domitilla, Lucilla, cetera forsitan ita explicanda sint, ut initio quidem ea blandiendi causa ficta et usurpata esse coniciam. Nec rarius virorum nomina, quibus hae syllabae annexae sunt, inveniuntur. Quae quod in inscriptionibus Africae saepissime leguntur, hoc ita suo iure explicat Thielingius,[2] ut permultis Graecis has regiones incolentibus ac cultum moresque domesticos pervulgantibus huiuscemodi nomina ibi increbruisse dicat. Sed quod ille de Africa commemoravit, idem in ceteris quoque imperii Romani regionibus, quoad longissime nomen Graecum prolatum est, viguisse ostendunt tituli. Infinitum est omnia in hanc rem exempla afferre. Quare dubitatione aestuantes in crebra exempla, quae inscriptiones parietariae Pompeianae offerunt, vocavisse et ex titulis Hispaniae nonnulla fortuito occurrentia attulisse satis habeo. In hoc numero sunt:

L. Caecilius Agidillus (C. I. L. II n. 4456)
L. Sergius Quintillus (ibid. n. 3002)
L. Statorius Iucundillus (ibid. n. 1925)
L. Cornelius Flaccillus (ibid. n. 2393)
Q. Fabius Faustillus (ibid. n. 3903[a]).

Atque his exemplis ex ceteris inscriptionum Latinarum voluminibus eiusdem generis nominum quantum iuvat addere possum. Sed ne extra cancellos huius commentationis egrediar,

---

[1] Friedlaender-Wissowa, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms, I[9] (1919) p. 103.

[2] Der Hellenismus in Kleinafrika (1911) p. 137 sqq.

sola L. Orbilii Pupilli et Aurelii Opilli grammaticorum nomina commemoro. Haec autem nomina in -illus exeuntia et quae attuli et quae non exscripsi ad unum omnia cognomina civium Romanorum sunt. Quid quod nomen Lucilli aeque usurpatum, id est civem haud dubie Romanum significans, compluries in titulis occurrit! Nam in cippis prope Tibur repertis nomina Caesonii Lucilli[1] consularis et C. Fabii Rufini Lucilli[2] exstant. Praeterea tabula Mediolani effossa nomen L. Varii Lucilli[3] habet et Romae inscriptio inter rudera templi reperta nomen Plotii Acilii Lucilli,[4] promagistri Saliorum Palatinorum, in lucem revocavit.

Praeter hanc nominis Lucilli usurpationem etiam alteram ab hac prorsus diversam ex titulis enucleare possumus, quam ut cognoscamus, brevi circuitu ducamur necesse est. In inscriptione enim Africana[5] inter nomina nonnullorum virorum, quos, cum iure trium nominum utantur, cives Romanos esse certum est, Urbanillus[6] quidam, Gutruris filius, occurrit. Atque hunc hominem peregrinae condicionis fuisse ex nomine patris barbaro Mommsenus iure coniecit. Vasculo porro in Hispania[7] reperto nomen Methilli figuli impressum est. Quibus nominibus similia appono alia, quae in titulis urbis Romae scripta videmus. Nam suppositori monetae Caesaris nomen Pausillus[8] est. Praeterea in cippo a mensore A. Sempronio Laeto posito lapidem ipsius et uxoris et Orestilli[9] liberti memoriae inscriptum esse legimus, itemque patrona Flavia Doris supremo titulo memoriam Hamilli liberti[10] prorogavit, quod nomen ludi magistro cuidam inditum apud Iuvenalem[11] quoque traditur. Haec igitur exempla sufficient; quibus omnibus id commune est, quod nomina haec hominibus civitate carentibus data sunt. — Ecce autem infinita prope et in-

---

[1] C. I. L. XIV n. 3900 et 3901. [2] ibid. n. 3914.

[3] C. I. L. V 2 n. 5841. [4] Dessau n. 4944.

[5] C. I. L. VIII n. 6704.

[6] Urbani nomen servo inditum in fragmentis cacabi aenei prope Haltern repertis exaratum legimus (C. I. L. XIII 3 n. 10036[8]). Iam Augusti ergo temporibus hoc nomen usitatum fuit.

[7] C. I. L. II n. 4970[314]. [8] C. I. L. VI 1 n. 44.

[9] C. I. L. VI 2 n. 9625. [10] ibid. VI 3 n. 19142.

[11] Iuvenal. X 224.

numerabilia nomina in -illus exeuntia in titulis terrarum septentrionalium, imprimis Galliae[1] inveniuntur. Sed ne multus sim in hac re, haec tantum nomina affero, quae in cippis Galliae Narbonensis, quam anno a. Chr. n. 120 in provinciae formam redactam esse nemo nescit, leguntur: Cobrovillum,[2] Excingillum,[3] Combarillum,[4] Troucillum,[5] Toutillum,[5] Vercillum[6] alia. Quod hi provinciales eiusmodi nominum adeo amantes fuerunt, fortasse ex gratia et auctoritate, qua Massilienses apud eos utebantur, explicandum est, praesertim cum nomina mere Graeca iis plus solito in deliciis fuisse index cognominum XII. volumini inscriptionum additus ostendat.[7] Saepissime autem nomina in -illus cadentia atque ita ficta, ut vocabulis primitivis aut Latinis aut barbaris hae syllabae agglutinatae sint, illic vasculis fictilibus impressa sunt, quae figulos significare ex verbis m(anu) aut f(ecit) adiectis apparet. Nam inde ab imperatoribus Caligula et Claudio[8] Galliae indigenae vasa conficienda ipsi susceperunt aemulosque Romanorum tam dociles se praebuerunt, ut vasis Arretinis domestica paulatim anteverterent. Quo in numero sunt nomina Latina[9]: Acutillus (8), Attillus (98), Borillus (138), Buccillus (142), Carillus (364), Virillus (938), Albillus[10]; nomina barbara[9]: Anaillus (42), Biracillus (132), Caratillus (181), Coccillus (242), Manduillus (530), Romogillus (751), Suobnillus (855). At inter huius quoque condicionis homines in complures incidimus, quibus nomen Lucillus erat. Nam duobus vasculis, quorum alterum in Gallia,[11] alterum prope oppidum, cui est

---

[1] Iam apud Caesarem patri Vercingetorigis nomen Celtillus est (b. G. VII 4, 1). Idem principem Allobrogum nomine Adbucillum (III 59, 1), alium Allobrogem Roucillum (III 59, 1 et 79, 6), Haeduum Cavarillum (VII 67, 7) commemorat et ille C. Valerius Troucillus (I 19, 3) nomen, quod, antequam civitate donatus esset, habuerat, consuetudine libertinorum Romanorum in cognomine tulisse videtur.

[2] C. I. L. XII n. 2356. [3] ibid. n. 3370. [4] ibid. n. 3883.

[5] ibid. n. 3944. [6] ibid. n. 5085.

[7] cf. etiam Strab. IV p. 181; Pomp. Trog. apud Iustin. 43, 4; Amm. Marc. XVI 12, 25.

[8] cf. Dragendorff, Westdeutschland zur Römerzeit (1919) p. 55 et 62.

[9] C. I. L. XII n. 5686. [10] ibid. XIII 3 n. 10010, 79.

[11] ibid. n. 10010, 1170.

nomen Pfünz[1], repertum est, hoc nomen impressum est. Praeterea in Norico[2] lapis parvus inventus est, cui „Lucillus fec." inscriptum est. Id quidem ex fragmentis cognosci non potest, utrum in illis regionibus ipsis haec vasa fabricata an ex Italia eo importata sint. Neque vero tanti est scire. Nam cum opificum[3] negotia ingenuis Romanis omnino sordida et contemnenda esse viderentur et non modo iis, qui tractabant, verum etiam liberis eorum ignominiae maculam inferrent, in Italia quoque figuli artem soli servi aut libertini exercebant.[4]

Quibus expositis summam faciamus: nomen Lucilli apud Romanos aut cognomine ingenuorum, in his ipsorum consularium, functum esse aut unici nominis loco iis inditum fuisse repperimus, qui nomina gentilicia sibi sumere vetiti erant. Quae propterea notatu digna sunt, quod, quae imprimis Rossbachius[5] dixit, iis refutantur ac diluuntur: Lucillum formam adventiciam[6] nominis gentilicii Lucilii adeoque non diversam fuisse, ut altera pro altera usurpari posset.

---

[1] C. I. L. III Suppl. 2 n. 14116, 18.

[2] ibid. n. 14365.

[3] cf. Kuehn, De opificum Romanorum condicione privata, Diss. Hal. (1910) p. 10 sqq.

[4] cf. Dressel, C. I. L. XV 2[1] p. 703.

[5] Jahrb. f. Philol. 143 (1891) p. 100 sqq. itemque Sakolowski, De anth. Pal. quaest., Diss. Lips. (1893) p. 19 sqq.

[6] Ne Iullum quidem, qua nominis forma Rossbachius opinionem suam confirmat, pro Iulius usurpari potuisse Mommsenus (Herm. 24 [1889] p. 155 sq.), Huelsenus (Berl. phil. Woch. 1888 col. 667 sq.), Muenzerus (P. W. X 1 s. v. Iulius col. 106) ostenderunt, quod etiam ex nomenclatione C. Iulii Iulli (C. I. L. I p. 101 et 350) apparet. Neque vero magis Rossbachio (P. W. III 2 s. v. Catillus[2] col. 1789) in eo assentiendum videtur, quod genetivum Catili (Hor. carm. I 18, 2) a nomine Catilii ducendum et Catilium formam adventiciam nominis Catilli esse dixit. Nam illi filio Amphiarai (Serv. ad Verg. Aen. VII 670) nomen *Κάτιλλος* erat. Eiusmodi autem nomina in *-ιλλος* exeuntia Graecos, quos litteras *λλ* „subtiliter" atque ita „quasi per unum *λ* sermo ipse consisteret" pronuntiasse Consentius (G. L. V p. 394, 25 sqq.) testatur, saepenumero simplici littera l scripsisse ostendunt tituli. Qua ratione etiam nomen *Κάτιλλος* in Pap. Flor. I 10, 11 scriptum est. Hanc igitur nominis formam etiam Horatius metri causa adoptare potuit primae syllabae vocalem a aeque ac Vergilius (Aen. VII 672 et XI 640) producens.

§ 2.

De Lucilli aetate, sede, condicione, genere.

Deinceps quando poeta floruerit, inquirendum est. Atque Lucilli aetas epigrammate IX 572, prooemio alterius epigrammatum libelli imperatore Nerone ab eo editi, cancellis quibusdam circumscribitur. Qui fines coartantur epigrammate XI 132, quo carmine imperatorem ipso quoque appellans Lucillus cum eo conqueritur, quod seniores poetas in arte sua aliquid efficere posse, iuveniles non posse nonnulli credant. Nam et poetam et imperatorem, quem ille alloquitur, „*νέους*“[1] fuisse Cichorius[2] suo iure ex hoc carmine effecit. Sed quoniam imperatorem Claudium, cum imperium adeptus est, plus quinquaginta annos natum fuisse, Neronem unum et tricesimum vitae annum omnino non egressum esse constat, imperatorem, quem poeta ep. XI 132 appellat, Neronem, non Claudium fuisse apparet. Unde sequitur, ut Lucillus imperatore Nerone iuvenili aetate fuerit. Ceterum qui Cichorii argumentis adductus alterum quoque epigrammatum libellum paulo post mortem Claudii a poeta editum esse putat, ei tertium libellum Lucillum satis multo post emisisse ponendum est. Nam Menandrum[3] eandem rem mordaciter ludificatum superans Lucillus ep. VI 24 in id iocatur, quod Syri piscibus ut Deae Syriae sacris vesci nefas putabant, et piscatorem retia sua, quippe quibus numquam piscem ceperit, Atargatidi

---

[1] Mirum in modum Schmidius (Christ-Schmid, Griech. Litt.-Gesch. II 1[6] [1920] p. 320 ann. 9) ep. XI 132 explanare conatus est, qui vocem „*νέος*“ (v. 1) falso interpretatus carmen (sicut Horatii epistulam II 1) contra nimios veterum scriptorum laudatores factum esse contendit. Atqui ad Lucilli iuvenilem aetatem hanc vocem pertinere ex v. 3 sqq. intellegere poterat. Porro quid verbis *Κἂν εἴπῃ „μῆνιν ἄειδε, θεά“* poeta dicere voluerit, ex illo *σήμερον οὐ δειπνῶ „μῆνιν ἄειδε, θεά“* (XI 140, 6) illoque *Ἵλαθι, Γραμματική, λιμοῦ φάρμακον εὑρομένη „μῆνιν ἄειδε, θεά“* (XI 400) luce clarius apparet. Apparet enim prima Iliadis verba ad grammaticorum professionem indicandam adhiberi, quippe qui rebus grammaticis vel metricis pueros impertientes primos Iliadis versus quasi duces sequi solerent, cuius rationis vestigia apud Sextum Empiricum (adv. gramm. I 133 B) adhuc exstant.

[2] Römische Studien (1922) p. 372 sq.

[3] ap. Porphyr. de abstin. IV 15.

offerentem facit. Atqui scimus etiam Neronem, „religionum usque quaque contemptorem“, cuius ad studia Lucillum saepius in carminibus spectantem videmus, huius religionis aliquamdiu studiosum fuisse.[1] Qua ex re forsitan concludere liceat tum demum, cum Nero corruptus et depravatus hanc deam teste Suetonio[1] ita spernere coepisset, ut urina contaminaret, hoc epigramma factum esse. Atque eadem nos docent haec: in ep. XI 132 poeta se „νέον“ dicit; idem coniugio obligatus (XI 388) se filiam habere tantae maturitatis, ut negotia sibi facessat, ep. XI 393 conqueritur. Quare inter epp. XI 132 et 393 plus temporis praeteriisse necesse est, quam ut utrumque carmen paulo post Claudii mortem factum esse possit.

Quibus rebus perquisitis ubi Lucillus sedem habuerit non iam difficile est ad cognoscendum. Nam quoniam Caesarem ipsum in permultis carminibus alloquitur, quin etiam, cum a Nerone pecunia sustentatus sit (IX 572, 8), hunc aliquo usu coram attigisse putandus est, sine dubio si non semper, at certe aliquamdiu in urbe Roma habitavit. Et hercle, qui quamvis veloci oculo carmina Lucilli percurrit, is inter immoderatam luxuriam sollerter excogitatam capitis orbis terrarum, qualem Neronis aetate fuisse scimus, ea orta esse ilico cognoscit. Quod verum esse paucis probo exemplis. Atque ep. XI 254 poeta acri iudicio pantomimi rationem agendi percenset, quod ludorum scaenicorum genus, cum Augusti aetate Romae exortum esset, ὄρχησις Ἰταλική cognomine[2] appellabatur et imperatoribus Caligula ac Nerone[3] imprimis vigebat. Qui cum eiusmodi histrionum spectaculis effuse indulgens non solum interesse soleret,[4] verum etiam eiusdem artis studiosissimus pantomimis vulgo gratiosis tantopere invideret, ut „Paridem occisum ab eo quasi gravem adversarium“ fama[5] esset, manifestum mihi videtur esse Lucillum, ut imperatori placeret, hoc epigramma fecisse, praesertim cum Canacae fabulam in hoc carmine commemoratam Neronem ipsum saltavisse memoriae traditum sit.[6] — Huiuscemodi autem spectacula in amphitheatro quoque edebantur ita qui-

[1] cf. Suet. Nero 56. [2] Athen. I p. 20 E [3] Sen. dial. 3, 20.
[4] Suet. Nero 26, 2. [5] ibid. 54. [6] Dio Cass. 66, 10, 2.

dem, ut non histriones, qui hoc officii munus tuebantur, sed homines malefici ad id ipsum instituti producerentur, ut se cruciari non simularent, sed re vera cruciarentur. Ad hanc igitur consuetudinem illustrandam Wissowa[1] suo iure Lucilli ep. XI 184 quoque rettulit, quo poeta suae magis quam nostrae aetatis auribus accomodate iocans Menisci supplicium tractavit, qui imperatori tria mala furatus *γέγονεν μέγα πᾶσι θέαμα,* cum sicut Hercules Oetaeus vivus combustus sit, id quod Romae homini quoque Christiano obtigisse Tertullianus[2] testatur. Qua translatione mythologica ut pergeret uti, poeta Meniscum mala *ἐκ τῶν Ἑσπερίδων τῶν τοῦ Διός* furatum fecit,[3] quibus hortos Sallustianos, inde ab Augusto imperatorum delicias, dici Iacobsius recte auguratus est. Praeterea amphitheatri formidines etiam ep. XI 160 nobis proponuntur, quo carmine per exsecrationem optat Lucillus, ut astrologi tristes casus vaticinantes *καὶ τί ποεῖ ταῦρος, καὶ τί λέων δύναται* — in circo videlicet — ipsi experiantur. — Terminum, post quem carmen scriptum sit, reperimus ep. XI 212, 6, ubi Erasistratum lanium considerantem filioli imaginem a malo pictore confectam poeta ita facit exclamantem: *ἐκ τῶν Ἰσείων υἱὸν Ἄνουβιν ἔχω.* Nam cum Isidis cultus a Tiberio acerbissime oppressus a Caligula demum populo redditus esset,[4] hoc epigramma, ex quo aedes huius deae constructas esse sollemniaque Romae haberi apparet, post hoc tempus fictum esse liquet. Ad cultum denique Deae Syriae eiusque templum, quod iam Neronis aetate trans Tiberim[5] fuisse videtur, ep. VI 24 pertinet.

Atque ibidem cotidiana observatione illos Cynicos cognovit, quorum secta, postquam per complura saecula delituerat, inde ab Augusti aetate imprimis Romae[6] revixit, ubi plerum-

[1] Friedlaender-Wissowa, Sittengesch. II[9] (1920) p. 91.

[2] Apol. 15.

[3] Notatu dignum mihi videtur poetam, cum Herculem ipsum mala in Hesperidum horto carpentem faciat, formam fabulae antiquiorem (cf. Schweitzer, Herakles [1922] p. 172), cuius Apollodorus (II 5, 11, 12) mentionem fecit, sequi.

[4] cf. Wissowa, Religion und Kultus d. Römer[2] (1912) p. 354.

[5] cf. Cumont, P. W. IV 2 s. v. Dea Syria col. 2239.

[6] cf. Schwartz, Charakterköpfe II (1910) p. 26.

que fucatam magis quam sinceram honestatem prae se ferentibus aequalium, in his Lucilli lascivia toleranda erat. In eiusdem autem carminibus non desunt, ex quibus germanorum Cynicorum genus dicendi, quod exiguis primordiis ab Antisthene positis maxime per Diogenis festivam dicacitatem excultum est, illorumque cogitata haud ita parvae auctoritatis apud eum fuisse appareat. Ut enim illi omnibus nervis contendentes, ut exemplo et adhortatione homines a libidinibus et animi affectibus liberarent, in sermocinationibus versuum Homericorum parodiis, annominationibus, ambiguitatibus splendere studebant,[1] ita Lucillus avaros, libidinosos, ambitiosos, in corporis cura morosiores aliosque versibus suis incessit idque ita, ut ioci eius cum Cynicorum σπουδογελοίοις egregie conspirent. Neque vero id satis habuit. Nam ep. XI 278 εἰς γραμματικὸν κερασφόρον facto et argumento et conceptione Diogenis[2] Bionisque[3] dictum, ὅτι τὰ μὲν Ὀδυσσέως κακὰ ἀναζητοῦσιν, τὰ δ' ἴδια ἀγνοοῦσιν (sc. grammatici), subsequitur. Similiter cum ep. X 122 legimus, Antisthenis sectatorem contra immodicos divitiarum aestimatores praedicantem audire videmur; nam praeter id, quod Cynicorum more v. 1 locum communem volvit adque sententiam suam illustrandam similitudinem ex rerum natura petitam comparat (v. 5 et 6), nimiam cuiusdam de se opinionem (v. 3) vocabulum Cynicorum proprium[4] usurpans τῦφον dicit. Sed qui Lucillum Cynicum fuisse his ex rebus concludere velit, praepropere iudicat. Nam huic opinioni vel id videtur adversari, quod Cynici disciplinas aspernabantur, epigrammatum auctor, qua de re infra latius disputabitur, eas studiosissime coluit. Quamquam id quidem incredibile non est Cynicorum rationem proletariis imprimis miserrimis suaque sorte non contentis consentaneam apud Lucillum, utpote qui inter homines opibus florentes vitam se inopem tolerare miserabili voce ipse dicat — certe aliquamdiu — non nihil valuisse. Quare quoniam Cynicorum Stoicorumque rationes, quo magis inde a Neronis aetate a Stoicis doctrina posthabebatur philosophiae activae, eo similiores inter

[1] Helm, P. W. XII 1 s. v. Kynismus col. 20 sq.
[2] Diog. Laert. VI 27. [3] Stob. IV 54.
[4] cf. Geffcken, Kynika u. Verwandtes (1909) p. 113.

se factae erant,[1] Lucillum Stoicorum sectam aemulatum esse facilius credemus, quamquam certa huius quoque rei argumenta in epigrammatis desiderantur.

Atque Lucillum quidem re vera aliquamdiu hominem misellum censuque inopem fuisse cum ex ep. XI 388, 6, tum ex ep. XI 402, 5 cognoscimus, ubi se antea fame laboravisse ipse dicit. Quod respicientes intellegimus, cur in permultis epigrammatis poeta cognomina saepe adulantia usurpans: *Καῖσαρ* (XI 247, 5), *Σεβαστέ* (XI 75, 1), *δέσποτα Καῖσαρ* (XI 116, 1; 132, 1; 185, 1), *Ζεύς* (XI 184, 1), *ὕπατε Ζεῦ* (XI 132, 5) imperatorem alloquatur, quin ep. XI 132, quod aemuli natu maiores suam aetate nondum provecti fortunam deprimere studeant, cum principe conqueratur; nempe in id animum intendit, ut oculos Neronis, cuius ab ingenio huiusmodi carmina minime abhorruisse scimus,[2] in se convertat gratiamque aucupetur. Nec caruerunt successu Lucilli mendicationes; nam ex ep. IX 572, prooemio alterius epigrammatum libelli, quem Neroni, ut gratiam referret, poeta dedicavit, tenuitatem eius precaria stipe (v. 8) ab imperatore sublevatam esse cognoscimus.

Quod denique ad genus poetae attinet, id paucis absolvere possum. Namque etsi illis temporibus nobiles Romanos, inter quos Lucillum non fuisse proxime exposui, liberalique doctrina perpolitos lingua Graeca commode uti potuisse non ignoro, tamen hunc epigrammatum scopticorum novatorem his in epigrammatis sermone nativo non uti ne cogitari quidem potest, quoniam adulescentulus eadem argumenta versibus ex tempore fusis compluries varians facilitatem suam linguae Graecae ostentare scit et tam alte in linguae Graecae naturam descendit, ut huius sermonis copiam verbis a se ipso novatis augere posset. Qui quam non Latine senserit, ex ea re cognoscitur, quod in ep. XI 95, 1 homini pusillo nomen Macronis *κατ' ἀντίφρασιν* dedit. Ex hoc enim vocabulo nemo nisi homo Graecus vocem *μακρός* exaudiebat, cum homo Romanus de verbo „macer" in illum pumilionem nequaquam convenienti cogitaret. Ac Romane ne sensisse quidem Lucillum

[1] Zeller-Wellmann, Philosophie der Griechen III 1⁴ (1909) p. 791 sqq.

[2] cf. Teuffel-Kroll, Römische Literatur II⁷ (1920) § 286, 10.

inde apparet, quod imperatorem Neronem ter verbis *δέσποτα Καῖσαρ* alloquitur. Nam cum Neronis aetate imperatores Romani iure publico principes, nondum dominos fuisse constet, civem Romanum, qui quomodo de hac re cogitaverit, illud Plinii:[1] „sedem obtinet principis, ne sit domino locus“ significat, Caesarem tam serviliter compellavisse incredibile est.[2] In orientis vero partibus domini nomen, quod Ptolemaei divinis honoribus culti habuerant, maturo iam tempore ad Caesares delatum esse Deissmannus[3] demonstravit. Eiusdem autem animi servilis exemplum *Κατίλιος ὁ καὶ Νικάνωρ* Alexandrinus praebet, cuius in epigrammate in insula Philis reperto[4] imperator Augustus *Ζεὺς ὁ ἐκ Ζανὸς πατρὸς Ἐλευθέριος, δεσπότας Εὐρώπας τε καὶ Ἀσίδος* vocatur. Atque Graecos quoque inde a Neronis aetate Caesaribus hoc nomen indidisse Deissmannus[5] ex titulis in Graecia repertis ostendit.

Iam vero imago Lucilli personae condicionisque his rebus adumbrata expressius apparebit exstabitque, ubi ea, quae de Leonida Alexandrino scimus,[6] cum iis comparaverimus. Qui cum initio quidem Romae addictus astronomiae vix famem propulsare posset (cf. ep. IX 344), tandem imperatore Nerone epigrammatis faciendis fortunam suam stabilivit. Ac saepenumero imperatorem ipsum in carminibus suis appellat idque ita, ut cognomina adulatoria ei imponat (cf. ep. IX 355: *Ποππαία, Διὸς εὖνι*); quin etiam ex ep. VI 328 Leonidam imperatori epigrammatum libellum dedicasse cognoscimus. Quare quoniam apud Lucillum mira rerum convenientia observamus eadem, non iam dubium fore arbitror, quin epigrammatum auctor ipse „Graeculus esuriens“ fuerit, qui tum innumerabiles, ut Juvenalis[7] verba mea faciam, grammatici, rhetores, geometrae, pictores, aliptae, augures, schoenobatae, medici, magi in urbe Roma peregrinabantur.

---

[1] Paneg. 55, 7.

[2] cf. Schulz, Vom Prinzipat zum Dominat (Studien z. Gesch. u. Kultur d. Altert. 9 [1919] p. 255 sq.).

[3] Licht vom Osten[4], (1923) p. 299 sqq.

[4] apud Kaibel, Epigrammata Graeca n. 978.

[5] l. l. p. 301.

[6] Radinger, Leonidas von Alexandria, Rh. Mus. 58 (1903) p. 294 sqq.

[7] Iuven. III 76.

§ 3.

De Lucillo grammatico.

Quam rem ita se habere eo confirmatur, quod ut Leonidas astronomus, ita Lucillus grammaticus fuit. Neque enim solum ipse expressis verbis (*ἰητήρ τις ἐμοὶ τὸν ἑὸν φίλον υἱὸν ἔπεμψεν, ὥστε μαθεῖν παρ' ἐμοὶ ταῦτα τὰ γραμματικά*: XI 401) se grammaticum esse dicit, cui cum aemulis et crebris, ut ex carmine XI 400 hilaritate quadam consperso cognoscimus, et malitiosis (XI 132) conflictandum sit, verum etiam, nisi ipse testaretur, ex certis epigrammatum indiciis hoc efficere possemus. Id enim, quod nostris quoque temporibus apud eos maxime observamus, qui doctrina litterisque ornati sunt: suae quemque artis vocabula interdum vel in iis rebus usurpare, quae extra eam sunt, idem apud Lucillum animadvertimus, qui artis grammaticae terminis technicis q. d. in carminibus suis risus movendi causa saepius abutitur. Quo in numero illae *πτώσεις, σύνδεσμοι, σχήματα, συζυγίαι* (XI 139) sunt, in quibus Menander grammaticus noctu quidem moechans Zenonidem, interdiu autem erudiens filium eius exercet. Deinde idem valet, quod in ep. VI 17 poeta in vocabulis tria genera declarantibus, masculino, feminino, neutro, ludit. Venustissimum autem id est, quod Heraeus[1] monuit: illa *καθ' ἱστορίην* et *παρ' ἱστορίην* (XI 254), quibus solis acumen epigrammatis continetur, vocabula grammaticorum propria fuisse, quae scholiis testantibus[2] tum iis usui erant, cum scriptores, quos commentabantur, cum rerum memoria concinere aut discrepare notare volebant. Et ep. XI 314 denique, en habemus derisorem, qui in nominibus enodandis artes suas petulanter profert. Nam diu sibi, ait Lucillus, at frustra scrutato, unde vox *πίναξ* originem duxisset, ad cenam vocato, cum patellas permultas quidem, sed cibis prope inanes conspexisset, subito in mentem venisse nomen *πίνακα*, quoniam illae patellae *ὄργανα τοῦ λιμοῦ* essent, a verbo *πείνη* derivatum esse. Quin etiam certam nominum enodandorum rationem usumque Lucillus in hac

---

[1] *Προπεῖν*, Rh. Mus. 70 (1915) p. 37 ann. 1.

[2] Roemer, Die Notation der Alexandrinischen Philologen bei den griech. Dramatikern, Abhandl. der bayr. Akad. 19 (1892) p. 668 sqq.

originatione videtur secutus esse. Docuerat enim Trypho, ὅτι συνέπαθεν ἡ φωνὴ τῷ σημαινομένῳ. Quare voci, cum ἔνδειαν alicuius rei notaret, ipsi quoque aut syllabam aut litteram deesse, ut voci ἡμικύκλιον[1], quia dimidiam circuli formam significaret, syllaba σι, aut voci λιμός[2], quae a λείπω derivata inopiam cibi notaret, littera ε intercidisset. Qua cum originatione (λείπω-λιμός), quod et ad verborum similitudinem et ad rerum contextum attinet, Lucilli πείνη-πίναξ quandam cognationem habet et carmen lepore conditius esse neminem fugiet, si hanc Tryphonis rationem secutum poetam nomen πινάκων parum cibi continentium a πείνη ioci causa duxisse sumimus.

Ac circuitione quadam ep. XI 10 quoque Lucillus grammaticum se ipse profitetur. Quo carmine poeta tamquam magister potandi, qui leges proponit convivales, circulum iuvenum — et ipsorum, ut videtur, grammaticorum (cf. v. 3 et 4) —, qui mutua inter se convivia curare solent, adire videtur. Hodie (σήμερον), inquit Lucillus, νόμος συμποτικός a nobis in usum receptus (v. 1) irritus esto et in hunc modum immutetur, ut quaestiones grammaticas non attingamus. Quod epigramma Kaegius[3] suo iure cum Anacreontis elegia[4] et Posidippi epigrammate[5] conferens idem argumentum alii ab alio quasi per manus traditum esse ostendit: „facessat propere“, inquit Anacreon, „qui inter pocula πόλεμον δακρυόεντα λέγει; celebremus potius ἀγλαὰ δῶρ' Ἀφροδίτης!“ Ac rerum bello gestarum vice apud Posidippum, cum Athenis Zenonis et Cleanthis auditor[6] inter condiscipulos vino incalescat, sapientia, apud Lucillum grammaticum ars grammatica fungitur. Quid hoc carmine poeta dicere voluerit, etiam clarius intellegemus, cum ep. XI 140, ubi idem argumentum simillime vestit, ut cum Aristarchi asseclis ad cenam invitatus abnuat, cum eo comparaverimus.

---

[1] Etym. M. s. v. φιλήτης.

[2] ibid. s. v. λιμός, cf. W. Kroll, Studien z. Verständn. d. röm. Lit., Stuttgart 1924 p. 104 sq.

[3] Nachwirkungen der älteren griech. Elegie in den Epigr. der Anth., Diss. Turic. 1917 p. 56.

[4] frg. 69 Bergk. [5] A. P. V 134 (133 St.)

[6] cf. Susemihl l. l. II p. 531 ann. 61.

Atque eiusmodi convivia, quomodo celebrarentur, id Athenaeus, quem ex veris conviviis exempla sumpsisse apertum est, „dipnosophistis“ docte illustravit: ut hunc iuvat *τοὺς κρατοῦντας τῆς λέξεως,*[1] *ὀνομάτων καὶ ῥημάτων θηρευτάς,*[2] qui *λογάρια δειπνοῦντες*[3] voluptatum vini et epularum obliviscuntur, deridere, ita Lucillus cum Aristarcheis *λογολέσχαις* (v. 1), qui de *λέξει* (v. 5) inter se digladiari solent, convivari aspernatur. Hodie (*σήμερον*) inquit (v. 6) poeta, *οὐ δειπνῶ μῆνιν ἄειδε θεά.*

Utroque ergo carmine Lucillus suam artem profitentium consuetudinem de rebus grammaticis semper et ubique disputandi impugnat. Ac simul ep. XI 140 discimus, qua in re Lucilli *καινὸν δόγμα συμποσίου* (XI 10, 2) consistat: cum Posidippo, Stoicorum philosophiae studioso, consentiens illis disputatiunculis *πεῖν* et *σκῶμμα λέγειν* praeoptat. Quae ratio Lucillo cum Stoicis communis est, quos id tenuisse Hirzelius[4] ex Persaei et Zenonis dictis ostendit, ut in conviviis damnose potarent seriosque sermones missos facerent. Praeterea autem illud *σκῶμμα λέγειν* ad haec epigrammata pertinere ac, si non omnia, at certe plurima eorum, cum inter sodales *Αὐσονίου πόμα Βάκχου* (XI 403, 4) poetae animum incendisset, orta esse videtur aperire. Nec desunt, quae hanc opinionem comprobant, indicia. Nam praeterquam, quod anthologiae Palatinae glossator, qui, quae singulis libris praefatus est, ipsi Cephalae debere videtur, undecimi libri titulo adiecit haec: *τὸ συμποτικὸν εἶδος ἐκ σκωμμάτων σύγκειται καὶ συμβολῆς τῶν παλαιῶν ἀεὶ παρὰ τὸν πότον ἀλλήλους αὐτοσχεδιαζόντων,* ea quoque res, quod totae versuum partes haud raro in compluribus epigrammatis repetuntur, perinde atque apud Martialem[5] ita simplicissime explicatur, ut inter pocula ea ex tempore fusa esse coniciamus. Quin poeta compotationi tenuem cenam subsecutae se interesse ep. XI 137 expressis verbis dicit, et ep. XI 134 et 136 imaginem *φονικῶν ἑξαμέτρων πολέμου* (XI 136, 4), quam clarissime fieri potest, ad animum nostrum referunt. Auditores vero, quia multa a poetarum Graecorum lectione petita carminibus insunt, plerumque homines litteratos,

---

[1] Athen. VII p. 275 b. [2] ibid. III p. 122 c. [3] ibid. VI p. 270 d.

[4] Der Dialog I p. 365 sq.

[5] Friedlaender, Martial I praef. p. 20.

grammaticos et rhetores, fuisse manifestum est. Nam ut unum e multis afferam, totum salem carminis XI 178, elegantis parodiae epigrammatis, quod in A. P. IX 715 sub Anacreontis nomine traditur, is solus percipiat, qui exemplar novit, id quod in illos homines maxime convenisse probabile est. Quare non solum quam professionem ipse exercuerit, verum etiam quibus in circulis carmina sua pronuntiaverit, poeta ipse detegit.

Atque eiusmodi locis e litteris Graecis translatis redundant carmina. Quos quamquam Sakolowskius[1] ex annotationibus Iacobsianis iam collegit, tamen, cum numerum eorum aliquanto augere possim, hic eo consilio, ut quam multi sint et quibus a scriptoribus deprompti oculis subiciam, iterum compono. Ac primum quidem Lucillum Homeri carmina penitus hausisse ex multis Iliadis et Odysseae verbis versibusque, quos aut immutatos aut ingenioso parodiarum lusu deflexos epigrammatis iocose intexuit, cognoscimus. Ex Iliade enim deprompsit haec:

XI 134, 3 *ἆσσον ἴθ', ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου . . .* = *Z* 143.
XI 189, 5 *οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι . . . ἐξεδύθησαν* = *Δ* 1.
XI 191, 1 *Ἆρες, Ἄρες, βροτολοιγέ, μιαιφόνε . . . παύεο, κουρεῦ* = *E* 455. Cuius carminis ultimus quoque versus colores habet Homericos: *ἔθνεα γυπῶν καὶ κοράκων,* cf. B 459 *ἔθνεα χηνῶν.*
XI 211, 4: *Τρῶες ἀρηίφιλοι* = *Z* 73.
XI 239, 1: *οὔτε Χίμαιρα τοιοῦτον ἔπνει κακόν . . . πυρίπνους,* cf. *Z* 182 *δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.*
XI 245, 3: *Νηρέος ἀγλαὰ τέκνα* = *B* 871 *Νομίονος ἀγλαὰ τέκνα.*
XI 313, 3: *ὀχθήσας δ' ἄρ ἔειπον* = *Λ* 403.
XI 391, 3: *ἡδὺ γελάσας* = *Λ* 378.

Ex Odyssea autem haec:

XI 137, 5: *βούλομ' ἅπαξ πρὸς κῦμα χανεῖν* = *μ* 350.
XI 140, 5: *ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι* = *γ* 271.
XI 253, 3: *ἢ γὰρ ἀπὸ δρυὸς ἔσσι παλαιφάτου ἢ ἀπὸ πέτρης* = *τ* 163.
XI 295, 1: *ἐνὶ μεγάροισι τεοῖσι* = *α* 295.
XI 403, 7: *ἀχάλκεον οὐδον* = *η* 89 *χάλκεος οὐδος.*

---

[1] De anthologia Palatina quaestiones, Diss. Lips. 1893 p. 31 sqq.

Praeterea Homericum habet colorem illud *λακτισθείς, ὡς εἶχε τὸ καίριον* (XI 104, 3), cf. e. g. *Θ* 84, et verbum *θούριος* (XI 211, 3) de ignavo milite, in Iliade (e. g. *O* 127) de Marte dictum.

Sed quae hi versus docent, ea aliis confirmantur locis, ubi Homeri figurae et verba, quia non risus movendi causa carminibus inserta sunt, parata ac fortuita poetae in mentem venisse videntur. Quo in numero illud *εἰ δ' οὕτω τοῦτ' ἐστίν* (XI 11, 5) habeo, quod eodem versus loco in Iliade (A 564) est; deinde illud *εἰ δέ τις ἐσσὶ βροτῶν* (XI 389, 3), quod apud Homerum ipsum quoque (ζ 153) occurrit; neque dubium est, quin illud *ἐν ἄλγεσι θυμὸν ὀλέσσῃς* (XI 389, 5) Homeri verbis *ἐν ἄλγεσι θυμὸν ὀρίνῃς* (*Ω* 568) poetae animo observantibus ortum sit.

Neque vero intra Homeri carminum terminos Lucilli cognitio litterarum Graecarum coercetur. Nam ep. XI 265 hominem statura pusillum, sed lingua ferocem ludificatur, quem in exercitu Romano militandi cupido cepit. Cui respondens poeta: eum pugnare non posse nisi aut *ἐπὶ μύας ἢ βατράχους* (v. 2) aut sicut Pygmaeum contra grues (v. 6), his verbis illam *βατραχομυομαχίαν*, quae Pigreti vulgo tribuitur, notamque illam fabulam Pygmaeorum ab Homero quoque (*Γ* 3 sqq.) adhibitam procul dubio denotare voluit. Nonnulla quoque, quae ex poetis elegiacis sumpta esse mutilae reliquiae facultatem offerunt ostendendi, Lucillum etiam hoc litterarum genus pernovisse demonstrant. Namque illud *πάντων δέκτρια, Γραμματική* (XI 400, 6) ex illo Archilochi[1] *ξείνων δέκτρια, Πασιφίλη* imitatione expressum esse iam Iacobsius vidit et Reitzensteinius[2] denuo commonuit. Deinde ep. IX 55 illam controversiam inter Mimnermum[3] et Solonem[4] intentam, utrum sexaginta annis completis ut vitae spatium protrahatur optandum sit necne, excipiens ita diiudicat, ut ad Mimnermi sententiam accedat. Quo in epigrammate verba *ἄξιός ἐστι γηράσκειν πολλῶν εἰς ἐτέων δεκάδας* ex Callimachi[5] *παίσατε,*

---

[1] frg. 8 H.
[2] P. W. VI 1 s. v. Epigr. col. 107.
[3] frg. 6 H.
[4] frg. 19 H.
[5] frg. 489 Schn.

τῶν δ' ἐτέων ἡ δεκὰς οὐκ ὀλίγη libavit.[1] Quid igitur mirum, quod et Theognis poetae nonnulla porrexit. Nam ep. XI 390 ex Theognidis v. 87—90 natum esse Kaegius[2] argumentis plane congruentibus recte statuit. Praeterea carmini IX 572 alteri epigrammatum libello proposito versum Hesiodeum[3] *Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διός,* quem paululum mutatum Theognis quoque prooemio (v. 15) elegiarum libri inseruerat, Lucillus infixit. Ceterum Hesiodi versus hic cum nobilibus versibus consociatus est. Nam v. 1 ex Hesiodi theogoniae prooemio translatus et v. 3 ex ineuntibus Iliadis et Odysseae verbis conglutinatus est.

Neque minorem poetarum Alexandrinorum notitiam Lucillus habuit. Nam praeter ea verba, quae ex Callimacho poetam mutuatum esse modo commemoravi, versus *ὅς δ' ἄλλῳ κακὰ τεύχει, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει* (XI 183, 5) inde[4] sumptus est, ac verba *Σαμόθραξι θεοῖς σωθεὶς ἐκ πελάγους ὧδε κέκαρμαι* (VI 164) Callimachi[5] versui *θεοῖς Σαμόθρηξι σωθεὶς ἐξ ἁλὸς ὧδε ἔθετο* tam similia sunt, ut vix dubium esse possit, quin Lucillo exemplo fuerit. Praeterea ex Parthenii[6] versu *Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ καὶ εἰναλίῳ Μελικέρτῃ* versus *Γλαύκῳ καὶ Νηρῆι καὶ Ἰνώῳ Μελικέρτῃ* (VI 164, 1) imitando expressus est. In Arati quoque carminibus poetam volutatum fuisse ex duobus locis apparet. Nam et verbis *καὶ γὰρ σοῦ μεσταὶ μὲν ὁδοί, μεστὴ δὲ θάλασσα καὶ λιμένες* (XI 400, 5—6) illud Arati[7] *μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ . . . μεστὴ δὲ θάλασσα καὶ λιμένες* parodice detorquetur et initium ep. XI 136 *οὐχ οὕτω κακοεργὸν ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν* ex Arati[8] verbis *οἳ πρῶτοι κακοεργὸν ἐχαλκεύσαντο σίδηρον* depromptum est. Quae cum ita sint, minime miramur, quod priorum epigrammatographorum vestigia in Lucilli carminibus inveniuntur. Nam epp. VI 164, 166, XI 194 poeta praecipue ea re cachinnum captat, ut sales et facetias in epigrammatum

---

[1] Indidem Agathiam quoque (A. P. V 282, 4), quem Bergkius „acerrimum Callimachi imitatorem" appellat, idem sumpsisse in propatulo est.

[2] p. 45. [3] Theog. 25, 52, 966, 1022.

[4] Schneider, Callim. II frg. 222, p. 465.

[5] A. P. VI 301. [6] Gellius, N. A. XIII 27, 1.

[7] Phaen. 2 sqq. [8] Phaen. 131.

dedicatoriorum formam scite effictam redigat. Porro ep. XI 312 Lucillus carminum sepulcralium formam imitatur, quam iam illud epigramma ostenderat, quo Theocritus Chius teste Aristocle[1] Aristotelem ludificatus erat. Quare hanc quoque iocandi rationem non a Lucillo excogitatam, sed a prioribus ei praemonstratam esse opinari licet. Deinceps epigrammati XI 179 Asclepiadis de Amore carmen exemplo fuisse et ep. XI 174 parodiam esse elegantissimam carminis Antipatri Sid. (XVI 178) primo aspectu cognoscitur. Atque ep. VI 17 denique Lucillus spurcissima imitatione insulsam quidem, sed a multis[2] cultam epigrammatum formam conscindit, in quibus tres homines alius post alium deo dona offerunt et simillimis remunerantur.

Notitiam ergo satis diffusam poetasque Graecos omnium temporum complectentem Lucillum habuisse vel ex iis locis, quos hactenus composui, intellegitur. Qua in re ne id quidem sine pondere videtur esse, quod Homeri, Hesiodi, Theognidis, Arati, Callimachi carmina in veterum scholis lectitabantur cottidieque poetae interpretanda erant. Atque huc accedunt multa ex comoedia petita imprimis media ac nova, quae, cum totos hominum ordines carpat, his epigrammatis genere proxima est. Nam hinc Lucillus non solum magnum numerum vocabulorum comicorum sumpsit, sed interdum ei etiam argumenta comoedia suppeditavit. Quod de illis primum nonnullis comprobandum videtur exemplis. Atque *ῥύγχος* de humana facie dictum (XI 76 et 196) aeque usurpatum apud Archippum[3] et Strattidem[4] occurrit. Deinde verbum *λογολέσχης* (XI 140, 1) poeta ad normam Aristophanei[5] *μετεωρολέσχου* ipse cudit et in ep. XI 143, 2 ut Plato[6] comicus Cleonem, ita maledicum et latrantem rhetorem *Κέρβερον* appellavit. Praeterea in ep. XI 134, 3—4 Heliodori genus dicendi his verbis destringit: *καὶ γὰρ ἐμ' ὄψει μακροφλυαρητὴν Ἡλιο-*

---

[1] ap. Euseb. praep. evang. XV 2, 12; cf. Diog. Laert. V 1, 11.
[2] cf. e. g. Antip. Sid. VI 14 et 174, Leonid. VI 13 et 39, Arch. VI 16.
[3] Athen. III p. 95 e.
[4] schol. Arist. Av. 1294, cf. Herond. V 41, VII 6.
[5] Suid. s. v. *μετεωροκοπεῖς;* cf. *ἐννομολέσχης* Timon. frg. 50 W.
[6] schol. Aristoph. Pac. 314.

δωρότερον. Cui, cum haec legerit, illius facete dicti Ciceronis[1]: „nihil unquam legi scriptum *Σηστιωδέστερον*" non in mentem veniat? Utrumque autem a comicis profectum esse Cratini[2] verba, ut exemplum afferam, *ἐκκεχοιριλωμένη* et *Χοιριλεκφαντίδης* eodem consilio novata demonstrant. Etiam in ep. XI 107, 4,[3] ubi macilentum Chaeremonis corpus poeta *καννάβινον* vocat, comicorum[4] exemplum secutus est; nam Strattis[5] quoque Sannyrionis maciem ludificatus *κάνναβον* eum dixerat. Acumen vero carminis XI 79 in ancipiti complurium vocabulorum significatione iam a comicis adhibita positum est. Nam hic aeque atque apud Aristophanem[6] verbum *δέρεσθαι* (v. 5) gemina vi, altera vapulandi, altera glubendi, accipiendum est. Praeterea autem et *ἀποδιδόναι* (v. 6), quod de pugile dicitur adversario plagas rependente, et vocabulum *πληγή* (v. 6) ad Veneris palaestram referenda sunt. Quem huius verbi usum apud Machonem[7] quoque invenimus, qui Maniam meretricem duobus athletis morem gerentem haec inducit dicentem: *αἰσθέσθαι θ' ἅμα / Ὀλυμπιονικῶν νυκτὸς ἀθλητῶν δυεῖν / πληγὴν ⟨παρὰ πληγὴν⟩ τί δύναταί ποτ' ἤθελον*.

Sed argumenta quoque comicos Lucillo praebuisse proxime affirmavimus. Quo in numero ep. XI 208 est, ubi Eutychidem, tardum stadiodromum, *ἐπὶ δεῖπνον πέτεσθαι* poeta dicit, quibus ipsis verbis Chaerephontem quoque parasitum ab Alexide sugillatum esse scimus.[8] Deinde in ep. XI 92 Gaium, hominem vegrandi macie torridum *εἰς Ἀΐδην καταβάντα τῶν σκελετῶν λεπτότατον* esse poeta iocatur. Cui comparamus Archestratum vatem in perdita auctoris anonymi fabula[9] ita exagitatum, ut apud inferos eum *τῶν κηρῶν λεπτότερον* esse poeta dixerit.

---

[1] ad Att. VII 17, 2.

[2] ap. Hesych. s. v. v. *ἐκκεχοιριλωμένη* et *Χοιριλεκφαντίδης*.

[3] In tertio versu exeunte scribendum est: *ἢ πάλι Κάμπῃ* (cf. XI 254, 4: *καὶ πάλιν ὢν Καπανεύς*). Comparat enim poeta Chaeremonem porrectis manibus et cruribus supinum iacentem *Κάμπῃ*, quod monstrum Cyclopes in Tartaro custodiebat et, cum Iovi eorum auxilio opus esset, ab eo necatum est (Apollod. 1, 2, 1).

[4] cf. Hesych. s. v. *κάναβοι*.

[5] Meineke, F. C. G. II[2] p. 769.

[6] Lysistr. 740 et 953.

[7] ap. Athen. XIII p. 578 f.

[8] Athen. IV p. 165 a.

[9] Eustath. ad *Ψ* 72 p. 1288, 41 sqq.

Itidem versui Homerico πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄιδι προίαψεν in malos medicos translato, quod in epp. XI 401 et 116 factum videmus, comicus quispiam forsitan exemplo fuerit. Neque enim huius quidem dicti primum auctorem fuisse Lucillum ex versu parodico ὦ βροτολοιγέ, πόσους σὺ βροτῶν Ἄιδι προίαψας, quem adiectis verbis κυρίως ἐπὶ ἰατρῶν ἡ λέξις παραλαμβάνεται Etym. M.[1] affert, efficitur; tamen hunc versum ex carmine quoque parodico, qualia Hegemo, Matro, Archestratus alii fecerunt, lexicographum sumere potuisse concedo. Praeterea ad Aristophanem revoco, qui[2] in Nubibus Socratem inducit inter caelum terramque pendentem; οὐ γὰρ ἄν ποτε, inquit hic, ἐξεῦρον ὀρθῶς τὰ μετέωρα πράγματα, εἰ μὴ κρεμάσας τὸ νόημα κτλ. Quis igitur est, qui carmine XI 164, ubi Aulus astrologus, quia vaticinium eius non evenit, ἀπήγξατο καὶ μετέωρος θνήσκει μέν, θνήσκει δ' οὐδὲν ἐπιστάμενος, hunc Aristophanis locum respici neget, praesertim cum utroque loco in ambigua verbi μετέωρος significatione ludatur? Ad alterum autem Lucilli locum ab Aristophanis studio profectum Crusius[3] advertit animos. Thesmophoriazusas enim, ubi Mnesilochus Agathonem poetam convenit ex libello notas musicas continente canentem ac supra umerum eius ad libellum spectans interrogat:[4] μύρμηκος ἀτραποὺς ἢ τί δὴ μινυρίζεται, Lucilli sapiunt verba in ep. XI 78 item notas musicas et μυρμήκων τρυπήματα coniungentis. Ad extremum opinionem, quae mihi quidem haud improbanda videtur esse, proferre haud scio an liceat de ep. XI 137, ubi Lucillus ab Heliodoro ad cenam invitatus, dum ille eum epigrammatis obruit, magnum pondus bubulae edit. „Quod si nefarie feci“, inquit, „Heliodorus εἰς τὸ φρέαρ me iniciat.“ Atqui Alexis comoedia, quae εἰς τὸ φρέαρ inscribebatur, Callimedontem propter ὀψοφαγίαν vellicaverat.[5] Ecquid in puteum ganeo ille in hac fabula coniectus erat? Quod factum esse ea re facilius adducimur, ut credamus, quod in Archippi[6] fabula, quae inscribebatur Ἰχθύες, ipsa

---

[1] Cod. Vossian. Etym. M. s. v. βροτολοιγός. Idem Eustath. ad E 31, p. 518, 41.

[2] Nub. 227 sqq.

[3] Zu neuentdeckten antiken Musikresten, Philol. 52 (1894) p. 196 sq.

[4] Thesmoph. 100. [5] Athen. VIII p. 340 c. [6] Athen. VIII p. 343c.

quoque ganeo *παρεδίδοτο τοῖς ἰχθύσι ἀντιβρωθησόμενος*. Qua re posita atque concessa ab hac Alexidis fabula Lucilli epigramma manavisse veri simile est.

Sed haec hactenus. Nam quae attuli exempla satis multa esse arbitror ad ostendendum hoc quoque litterarum genus, cui lectitando commentandoque enixe operam dare ne infimae quidem aetatis grammatici destiterunt, Lucillum penitus cognitum habuisse. Accedunt autem permulta proverbia, quae aut immutata aut parodice detorta poeta carminibus suis infixit. Quo in numero sunt:

XI 141, 8: *ἄλλα λέγει Μενεκλῆς, ἄλλα τὸ χοιρίδιον;* cf. Zenob. I 74 *ἄλλα μὲν ὁ Λεύκων λέγει, ἄλλα δ' ὁ Λεύκονος ὄνος.*

XI 185, 3: *Ναύπλιος ἀεὶ κακὸν (φέρει);* cf. Ps.-Diog. I 68 *Ἀεὶ φέρει τι Λιβύη κακόν.*

XI 137, 6: *βάλλε εἰς τὸ φρέαρ* = Zenob. II 72 *βάλλε εἰς ὕδωρ* („*ἐπὶ τῶν ὀλέθρου ἀξίων*").

Praeterea primus quoque carminis XI 139 versus parodia proverbii ab Apostolio (I 19) traditi *Ἀγύῤῥιός ἐστιν Προνόμου πώγων' ἔχων* videtur esse, quod teste paroemiographo *ἐπὶ τῶν ψηνιζομένων καὶ ὀπυομένων* dicebatur. Qua re cognita[1] simul primi versus corruptelae mederi carminisque argumentum perspicuum reddere possumus; nam scribendum est: *Γραμματικοῦ Ζηνωνὶς ἔχει πώγωνα Μενάνδρου.*

---

[1] Nominis formam *Ζηνωνίς* pro vulgata lectione *Ζήνων, ὅς* cod. Pal. servavit. Quam primam integramque formam esse mulierum nomina *Δημοστρατίς* (XI 240) et *Δημοσθενίς* (XI 266) ex nominibus virorum nobilium derivata demonstrant. Proverbio autem Aristophanis versus (Eccl. 96) subest: *Ἀγύῤῥιος γοῦν τὸν Προνόμου πώγων' ἔχων λέληθε· καίτοι πρότερον ἦν οὗτος γυνή.* Ut illo comoediae loco mulieres Athenienses virili cultu indutae prodeunt, ita hic Zenonis domum Menandri grammatici, quocum libidinis habet commercium, frequentat. Quae res cum illa narratiuncula teste Suetonio (Aug. 45, 4) de Stephanione histrione divulgata comparari potest, „cui in puerilem habitum circumtonsa matrona ministraverat". Ceterum hoc argumentum in litteris Graecis satis disseminatum fuisse mutatisque mutandis in vitas quoque hominum sanctorum penetravisse Geffckenus (Der Ausgang des griech.-röm. Heidentums [1920] p. 236) exposuit.

Quibus alia adicio haec:
XI 313, 1 ἀργύρεος λιμός = Apost. III 71[a]
XI 112, 1 χαῖρ' ἱερὸν φῶς = Zenob. VI 42 χαῖρε φίλον φῶς.
XI 95, 4 δεύτερος Ἡρακλῆς = Ps.-Diog. I 63 οὗτος ἄλλος Ἡρακλῆς.
XI 388, 4 κακῶν κακά = Append. II 39.

Etiam illud ἀγαθῶν ἀγαθά (XI 388, 2) sec. cod. Laur. LVIII 24, quem integriorem Zenobii codicem esse Cohnius[1] docuit, locutio proverbialis fuit. Idem de versu πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων (XI 176, 5) a Cicerone quoque allato,[2] idem teste Crusio[3] de locutione οὐ δύνατ' ἄλφα γράφειν (XI 132, 4) putandum est, atque ultimum denique eiusdem carminis versum εἰς τοὺς κηλήτας ἔρχεται ἡ σοφία lautiorem parodiam lutulenti proverbii[4] εἰς τὴν πυγὴν ἐξεῤῥύηκε ἡ σοφία esse opinor.

Quibus proverbiis epigrammatis insertis alia adnumeranda sunt, quae non tam verbis quam rebus carminum subsunt. Ut ep. XI 256 ex proverbio λούσαιο τὸν Πελίαν,[5] etiam illud Λῆμνος ἔπνει κακὸν (XI 239, 1 et 3) ex proverbio Λήμνιον κακόν[6] prodiit et ep. XI 85 proverbium Κάλλιππος τρέχει,[7] cuius explanationem Suetonius[8] servavit, pluribus verbis explicat. Namque Tiberio cognomen Callippidae inditum esse ille narrat, „quem cursitare ac ne cubiti quidem mensuram progredi proverbio Graeco notatum esset." Ultimo porro carminis XI 216 disticho proverbium ἄρνα φιλοῦσι λύκοι, ὡς φιλοῦσι νέον ἐρασταί subest, cuius formam principalem Hauptius[9] huius quoque carminis respectu habito sagaciter restituit.

Proverbiis denique suppetias ferentibus etiam primum carminis XI 210 distichum nondum ad liquidum perductum omnibus ex partibus me expedire posse puto. Quo carmine toto Lucillum, ut in rhetorum ἠθοποιίαις fieri solebat, militem

---

[1] Zu den Parömiographen, Breslauer philolog. Abhandl. II 2 (1887) p. 31.
[2] ad fam. IX 7, 2.
[3] Untersuchungen zu den Mimiamben des Herondas, p. 59.
[4] App. II 32. [5] Zenob. IV 92. [6] Zenob. IV 91.
[7] Mant. Prov. I 87.
[8] Tib. 38, cf. etiam Cic. ad Att. XIII 12, 3.
[9] Opusc. II p. 404 sq.

imbellem describere in propatulo est. Sed quid in hoc rerum contextu poeta dicere voluit verbis: *ἄνθρακα καὶ δαφνὴν παραβύεται ὁ στρατιώτης Αὖλος ἀποσφίγξας μήλινα λωμάτια?* Atque ut a facillimis ordiamur, *λῶμα*[1] vocabatur instita acri colore distincta, quae mulierum stolae subsuebatur. Quoniam autem Aulus *λωμάτιον* suum, videlicet ut ad fugiendum semper paratus sit, collectum *(ἀποσφίγξας)* gestat, poetam illo vocabulo hoc uno loco tradito vestimentum longum et muliebre designare voluisse patet. Sed cum viri tunicam usque ad genua, milites etiam altius praecinctam gerere fere solerent, Aulus animum et mentem minime virilem militaremve ipso vestis habitu prodit aeque atque illi, quos, quod „promiscas viris et feminis vestes“ gerebant, imperator Tiberius in senatu vituperavit,[2] aut Maltinus ille mollis et effeminatus, qui, cum mulierum modo „tunicis demissis“ deambularet, irridendi sui Horatio[3] facultatem dedit. Atque eodem spectat, quod Aulum *ἄνθρακα καὶ δάφνην* sibi infercientem Lucillus facit. Nam eam esse vim vocis *παραβύεσθαι* ex Luciani[4] verbis: *ἡ δὲ φιλήσασα (τὸ μῆλον) μεταξὺ τῶν μαστῶν ὑπὸ τῷ ἀποδέσμῳ παρεβύσατο* perspicue apparet. Cur autem laurum ille sibi inferciat, cognoscimus ex proverbio:[5] *δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν;* namque adicit paroemiographus: *τοῦτο λέγειν εἰώθασι οἱ ὑπό τινων ἐπιβουλευόμενοι· παρόσον ἀλεξιφάρμακον ἡ δάφνη.*[6] Pro phylacterio ergo Aulum lauro uti poeta sine dubio dicit. Quam opinionem approbanti ille miles carbonem quoque pro tutela gestavisse putandus est. Neque id temere. Nam primum quidem laurum propter a *ἀπεχθάνεσθαι δαίμοσι* (id est: ad phylacterium utilem esse) veteres credebant, quia *πυρὸς πλῆρες τὸ φυτόν.*[7] Idem autem etiam in carbonem cadebat. Deinde carbo propter nigrum colorem Hecatae[8]

---

[1] Hesych. et Etym. M. s. v. *λῶμα.* [2] Tac. ann. III 53.
[3] Sat. I 2, 25. [4] Dial. meretr. 12, 1, p. 312. [5] Zenob. III 12.
[6] Lauro inesse vim quandam malum averruncandi etiam Plinius (N. H. XV 30, 135) testatur veteres credidisse. Atque Tiberius quoque teste Suetonio (Tib. 69) „turbatiore caelo numquam non coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis.“
[7] Geop. XI 2, 4—5.
[8] Quare Colophonii ei canes nigras immolabant (Paus. III 14, 9) et Therae Artemidorus quidam Hecatae *μέλαν λίθον ἔστησεν* (C. I. G. II add.

sacrum imprimis idoneus erat, quo terribilis haec Trivia fieret propitia. Carbones denique singulariter comparatos Marcellus Sidetes hoc fragmento[1] commendat:

τρῖγλα μὲν ἀνθεμόεσσα πυρὸς ῥιπῇσι καεῖσα
σὺν μέλιτι ξανθῷ κυαναυγέας ἄνθρακας ἕλκει
ῥιζόθεν, οἳ πνείουσι φόβον κρυεροῦ θανάτοιο.

His igitur carbonibus ex mullo, pisce Hecatae[2] sacro, paratis, quos utrum amuleti loco an pro remedio ille medicus adhiberi voluerit disceptare nolo, satis superque manifestum est, illius deae benevolentiam conciliari posse Marcello persuasum fuisse. Quae cum ita sint, Aulus et laurum et carbonem phylacterii loco sibi infersisse videtur. Quae res ad hoc epigramma interpretandum propterea magni momenti est, quod etiam consuetudo gestandi amuleti naturae hominis ignavi ut nota quaedam attributa videtur esse, id quod proverbium *Θεαγένους ἑκάτειον*[3] ex comoedia forsitan profectum ostendit. Nam adicit Suidas: *οὗτος δειλὸς ἦν· εἶχε δὲ Ἑκάτης ἄγαλμα, οὗ ἐπυνθάνετο πανταχοῦ ἀπιών.* Atque ita ea, quae in hoc disticho brevitate vere epigrammatica magis significantur quam expressis verbis dicuntur, ipsis proverbiis dilucidiora fiunt.

Proverbiorum igitur propter dictionem astrictam epigrammatum poetis perappositorum tantus numerus Lucilli carminibus iniectus est, ut ei sicuti multis sui temporis grammaticis ipsa proverbia insigniter et nota et cordi fuisse appareat.

Sed quae ex locis adhuc tractatis de carminum auctore conclusimus, ea aliis ex epigrammatis amplificare licet. Quo in numero imprimis ep. XI 140 est, quod, qua est gravitate ad hanc quaestionem longius persequendam, totum exscribimus:

Τούτοις τοῖς παρὰ δεῖπνον ἀοιδομάχοις λογολέσχαις,
τοῖς ἀπ᾽ Ἀριστάρχου γραμματολικριφίσιν,

---

n. 2465 b); Lucr. III 52; Verg. Georg. IV 545; Aen. V 97. 736. VI 153; Macr. III 9, 11.

[1] ed. Schneider in Comment. philol. O. Ribbeckio oblatis (1888) p. 128.

[2] Athen. VII 126, p. 325d et Apollonid. in A. P. VI 105 St.

[3] Suid. s. v. *Θεαγένης* c.

οἷς οὐ σκῶμμα λέγειν, οὐ πεῖν φίλον, ἀλλ' ἀνάκεινται
νηπυτιευόμενοι Νέστορι καὶ Πριάμῳ,
μή με βάλῃς κατὰ λέξιν ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι.
Σήμερον οὐ δειπνῶ μῆνιν ἄειδε, θεά.

Quo carmine Lucillus Aristarchi sectatores ferventissime concerpit. Nam posterioribus quoque temporibus eos grammaticos, qui Aristarchi doctrinam rationemque a prioribus susceptam colebant, non solum *Ἀρισταρχείους* sed etiam illud *οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς* vel *οἱ ἀπὸ τοῦ Περιπάτου* imitando *ἀπ' Ἀριστάρχου γραμματικούς* denominatos esse et Herodianus[1] hoc nomen usurpans testatur et Varro,[2] qui eos Latine „ab Aristarcho grammaticos" appellet. Quoniam autem Lucillum ipsum grammaticum fuisse iis, quae de hac re iam exposui, extra omnem dubitationem positum est, hoc epigramma idcirco maximum habet momentum, quod illum de Aristarcheorum familia ita non fuisse, ut ex adversa parte staret, eo planum fit. Quod carmen ubi cum maledicentissimo Herodici Babylonii,[3] grammatici Pergameni, epigrammate in eosdem condito comparamus, non solum eandem simultatem antisophistae propriam, sed etiam rerum ac sententiarum concentum animadvertimus. Ut ille Cratetis sectator, ita Lucillus solivaga et ieiuna Alexandrinorum studia rebus mere grammaticis paene unice dedita in risum vertit; *λογολέσχας* enim eos dicit — in verbis et vocabulis nugantes, ut interpretatur Stephanus — iisque se *κατὰ λέξιν* (v. 5) parem non esse libere concedit. Quo in rerum contextu id quoque memoratu dignum est, quod abscondita irridendi suspicione Aristarcheis *οὐ πεῖν φίλον* esse poeta ambigue dicit. Nam ab illo *πεῖν* abhorrent propter verbi significationem et formam.[4] Forma enim hac lege inde ab Augusti aetate increbrescente[5] ficta est, ut *ι* cum insequenti *ι* vel *ει* in unum contraheretur, aeque ac *ταμεῖον, ὑγεία,* quod sermonem plebeium prodit. Quem cum Stoici[6] ad exstruendam grammaticae Graecae disciplinam

---

[1] Herod. techn. rell. II 1 p. 42, 20 L. [2] de L. L. X 42.
[3] ap. Athen. V p. 222a.
[4] Heraeus, *Προπεῖν*, Rh. Mus. 70 (1915) p. 1 sqq.
[5] Moulton, Einleitung in die Sprache des Neuen Testamentes (1911) pag. 65. [6] W. Schmid, Philolog. 69 (1910) p. 440 sqq.

libere adhiberent, Aristarchei hoc plane neglecto et contempto oratione accurata et polita, quam litteris traditam inveniebant, ad id ipsum se continebant. Sed etiam aliud utrique epigrammati commune esse nemo non videt: dico vanam sui aestimationem, Aristarcheorum despicientiam, quas uterque poeta verbis effert, quandoquidem Crates eiusque discipuli se ipsos ingeniosi architecti, Aristarcheos autem operariorum ministerio fungi aiebant.[1] Nam quis est, quin, cum Lucilli verba aculeata in siccos Aristarcheos facta legat: *οἷς οὐ πεῖν φίλον, ἀλλ' ἀνάκεινται νηπυτιευόμενοι Νέστορι καὶ Πριάμῳ,* Antipatri verba[2] *κακὸν ἄνδρα ταρβέω καὶ μύθων μνήμονας ὑδροπότας* ab Horatio[3] quoque respecta meminerit? Praeterea Herodicus Aristarcheos propter minutas quaestiones de verbis monosyllabis velut *μίν, σφίν* aliis habitas illudit. Atque similia apud Lucillum (XI 142) legimus, ita quidem, ut id non grammatico, sed rhetori obiciat. Quos ipsos in his voculis tractandis versatos esse Birtius[4] carmen, quod Vergilius[5] adulescens pepigit, interpretatus ostendit eosque hac re ad eiusmodi studia adductos esse coniecit, quod hae voculae etiam ab Nicolao Damasceno Appianoque usurpatae[6] in solutam quoque orationem penetravissent. Quae cum ita sint, Herodici mentem ac voluntatem etiam in Lucilli epigrammate (XI 140) spirare apparet.

Ac num Lucillus ut Stoici sermonem communem re vera pluris aestimaverit quam Alexandrini, id ita facillimum est ad eruendum, ut inquiramus, num dictioni suae illos angustos fines terminosque constituerit, quos transeundos non esse rhetores atticissantes docebant. Quorum praecepta cum analogiae ratione, quam Aristarchei solis scriptoribus veteribus praecipuisque respectis elaboraverant, artissimis ut Nordenus[7] docuit vinculis conexa illuc pertinebant, ut *μίμησιν τῶν ἀρχαίων* ut summam legem proponentes nova verba omnino

[1] Sext. Emp. adv. math. I 79. [2] A. P. XI 31. [3] Ep. I 19, 9.
[4] Jugendverse und Heimatpoesie Vergils (1910) p. 56.
[5] Catalept. II b.
[6] Radermacher, Studien zur Geschichte der antiken Rhetorik, Rh. Mus. 54 (1899) p. 371.
[7] Die antike Kunstprosa I p. 184 sqq.

fugienda vivamque linguam in pristinae linguae habitum reformandam esse profiterentur. Quam rem respicientes cum Lucilli epigrammata rimamur, undequadraginta verba a Sakolowskio[1] iam collecta reperimus, de quibus ποῦ κεῖται atticissantium more interroganti respondere non possumus, nec raro in eiusmodi verba formasque incidimus, quas audientes Phrynichi facere non potuissent, quin „taedio afficerentur“, „nausea correpti vomerent“, „capita velarent“. Quo in numero praeter verbum χαλκός, quo de supra (p. 5) egi, formamque πεῖν etiam vocabulum τύλη (XI 315) est, quod respuens Phrynichus[2] κνέφαλον dici mavult. Ἀλήθειν (XI 154, 1) quoque et ἀνακεῖσθαι (XI 140, 3) „accubare“ significans ab eodem reiciuntur, qui ut ἀλεῖν[3] et κεῖσθαι[4] dicatur praecipit. Etiam voculam πλήν pro ἀλλά usurpatam (XI 78, 5; 207, 3; 216, 2; 256, 3) et illud τυχόν (XI 160, 3; 246, 5), cui vis adverbii fortasse vel fortuito subiecta erat, sermonis communis fuisse inter omnes[5] constat. Indidem poeta formam δανίσας (XI 309, 3) sumpsit. Haec enim ex verbo δανίζειν in chartis quoque Aegyptiis occurrente venit, quod ipsum a verbo δανείζειν verbis in -ίζειν exeuntibus assimulato ortum est.[6] Nec minus ἔσθειν (XI 402, 3) pro ἐσθίειν dici atticissantes vetuisse videntur, quoniam Antiatticistae auctor illam verbi formam adhibita Homeri auctoritate probare[7] conatus est. Etiam verbum ποιεῖν ita usurpatum, ut ei vis „degendi“ insit (XI 85 et 330), ex sermone communi sumptum est. Nam nisi in libris divinis[8] aut apud Iosephum[9] scholiastasque[10] hoc verbum ita adhibitum non reperimus. Huc accedit, quod „pulegium“ dialecto Attica[11] βλήχων, dialecto Ionica et Dorica,

[1] l. l. p. 28.

[2] Phrynichi ecloga nominum et verborum Atticorum ed. Lobeck p. 175.

[3] Phryn. p. 151. [4] Phryn. p. 216.

[5] Deissmann, Licht vom Osten[4], p. 101.

[6] Blass-Debrunner, Grammatik des neutestamentlichen Griechisch[5] 1921, p. 16.

[7] Bekker, Anecdota Graeca I p. 97.

[8] Act. 15, 33 et 20, 3; Epist. Iacobi 4, 13.

[9] Archaeol. 6, 1.

[10] schol. Theocr. III 48a et schol. Eurip. Hipp. 35.

[11] schol. Aristoph. Pac. 711.

unde in sermonem communem penetravit, γλήχων (γλάχων) nominabatur. Ut igitur medici,[1] quorum polite scribere non multum intererat, ita Lucillus (XI 165) γλήχων dicit. Praeterea participia ἔχων et λαβών super necessitatem abundanter verbo adicere, id quod in epp. XI 99, 2 et 233, 4 factum videmus, sermonis[2] communis erat. Nec rarius in epigrammatis inveniuntur, quae ab Atticorum declinandi ratione abhorreant. Quo in numero comparativa βράδιον et τάχιον (XI 84) sunt, quae Phrynichus[3] ea de causa reiecit. Accedunt verborum formae οἶδας (XI 403, 4) et οἴδατε (XI 10), imprimis autem illud ἀπίναι (XI 404, 2) a Phrynicho[4] cum horrore quodam allatum. Etiam forma πέταται (XI 91, 4; 92, 4; 208, 2), quae ab infinitivo πέτασθαι ad formam infinitivi δύνασθαι assimulato deducta est, sermonis communis propria erat.[5] Cuius vestigia ibi quoque apparent, ubi poeta ad ea recurrit, quae in locum pronominum possessivorum (ἐμός al.), quae Romanis iam temporibus magis magisque evanuerant,[6] posteriores substituerunt. Pro iis enim interdum sui temporis rationem dicendi secutus usurpat Lucillus: 1. adiectivum ἴδιος (velut XI 210, 3: ἴδιον ξίφος); 2. praepositionem παρά cum pronomine personali coniunctam (velut XI 135, 2: τοῦ παρὰ σοὶ τεκνίου); 3. ἑαυτοῦ[7] in secundam personam relatum (velut XI 77, 5: ἐς ἔσοπτρον ἑαυτοῦ . . . ἐρεῖς). Insuper etiam coordinationis, quam in viva lingua subordinationi antestetisse constat,[8] praeclarissimum exemplum ex his carminibus proferre licet; nam in ep. XI 254, 5 dicit poeta: ἀφυῶς, ὅτι καὶ ξίφος ἦν σοι καὶ ζῶν ἐξῆλθες, ubi exspectamus καίπερ ξίφος ἔχων. Eiusdem notae sunt locutiones εἰ οὕτως τοῦτο ἔστιν ἔχον (XI 132, 5) et ὄψομαι αὐτοὺς εἰδότας ὄντας· (XI 160, 3). Nam eiusmodi coniugationis periphrasticae formas paulatim percrebruisse ex aliis quoque inferioris Graecitatis auctoribus

---

[1] cf. Diosc. III 361. [2] Moulton, l. l. p. 365.
[3] Phryn. p. 101 et 76. [4] Phryn. p. 15.
[5] Blass-Debrunner, l. l. p. 60.
[6] Kuhring, De praepositionum Graecarum in chartis Aegyptiacis usu, Diss. Bonn. (1906) p. 12 sq.
[7] Radermacher, Neutestamentliche Grammatik (1911) p. 61.
[8] Radermacher, l. l. p. 181.

cognoscimus.[1] Ex iisdem denique scimus tempus perfectum tum aoristi quoque vice functum et in narrationibus usurpatum esse.[2] Qui usus apud Lucillum quoque occurrit in ep. XI 184, 3: *ὡς ἑάλω, γέγονεν;* similiter XI 75, 5 et alibi.

Neque vero hunc usum secutus in suo dicendi genere solo Lucillus ea, quae hi rhetores atticissantes voluerunt, repudiavit, sed etiam expressis verbis insanam eorum rationem atque inclinationem impugnavit. Nam ep. XI 142 rhetorem ludificatur, cui, ut sit omen, nomen Critoni dat, quod hic febri Attica correptus eo se aliquid in studiis facere opinatur, quod discipulis Demosthenis Atticorumque vocabula ac locutiones inculcet, quod argumentum Lucianus[3] quoque simillime tractat. Quam cacozeliam derisurus poeta adicit: *προσθήσει δ' αὐτοῖς „γρῦ" φάθι καὶ „μὶν" ἔτι.* Nam *γρῦ* voculam onomatopoeticam, porcorum grunditum imitando effictam, comici nimirum in deliciis habebant. Sed cum Demosthenes quoque hac vocula semel[4] utatur dicens *οὐδὲ γρῦ* Atticistae eam lautam declarabant et *ἐπὶ τοῦ μικροῦ καὶ τοῦ τυχόντος* usurpabant.[5] Voculam *μίν* autem inde ab Homeri temporibus homines sana mente iudicioque praediti sermoni poetico soli concesserant.

Quae cum ita sint, Lucillum sermonem vivum pluris duxisse quam facticiam illam Atticistarum linguam ab artis umbraticae perceptis profectam iam certum est. Nihilosecius hanc rem ultimo denique argumento confirmabo. Hi enim rhetores, quorum studia fanatico quodam pristinorum temporum amore concitata vigebant, non solum ut priscum illum dicendi modum suae aetatis scriptores minutatim imitarentur postulabant, sed ut exempla quoque, quae ad sententias suas illustrandas afferrent, a clarissimorum temporum memoria repeterent,[6] quam rem anonymus ad Herennium auctor, quem rhetorum Graecorum scrinia compilasse inter omnes constat, eo probavit, quod „auctoritas antiquorum cum res probabiliores, tum hominum studia ad imitandum alacriora redderet".[7]

---

[1] Radermacher, l. l. p. 83.
[2] Radermacher, l. l. p. 122.
[3] lexiph. 21 et rhet. praec. 16.
[4] de fals. legat. 39.
[5] Zenob. V 54.
[6] cf. Lucian. rhet. praec. 18 et Iup. Trag. 32.
[7] Auct. ad Herenn. IV 2.

Hanc igitur Atticistarum consuetudinem, ut, quotienscumque occasio data erat, decantatam illam de Othryada aut Thermopylis cantilenam usque quaque declamarent, Lucillus (XI 141) in risum vertit, eosque, ut magis sobrii rebus stent, graviter admonet.

Atque haec habui de hac re, quae dicerem. Restat, ut summam faciam. Lucillus igitur rhetores atticissantes impugnavit et similiter atque ignotus ille περὶ ὕψους auctor, Philo Iudaeus, Plutarchus, alii, apud quos non minimum auctoritatis Posidonium habuisse notabile est,[1] liberius orationis genus anteposuit. Itaque cum Atticistarum et analogiae praecepta quasi cognatione quadam inter se coniuncta essent, hac quoque re argumento uti possumus, quo quamquam circuitione quadam demonstratur Aristarcheorum rationi Lucillum adversatum esse.

§ 4.

De Lucillo rhetore.

Sed nescio an alia quoque ex epigrammatis concludere liceat. Nam qui ea percenset, initio quidem paulum voluptatis ex ea re capiet, quod idem argumentum commutatis verbis saepius iteratur, quam ut huius aetatis hominibus, ut sunt cupidissimi novi, placere possit. Graecis vero Romanisque, qui id imprimis spectabant, quo filo oratores et poetae argumenta sua deducerent, is, qui verbis ad id expeditus erat, admiratione dignus videbatur. Quare rhetores id praecipue expetebant, ut discipuli περὶ τῶν αὐτῶν πολλαχῶς ἐξηγήσασθαι possent,[2] immo Archiam, poetam rhetoricum, Cicero laudibus ad caelum effert,[3] quod „eandem rem dicere posset commutatis verbis atque sententiis“. Quo intuentes, ubi epigrammata contemplabimur, non solum remissius iustiusque de iis iudicabimus, verum etiam auctorem eorum ipsum quoque arte rhetorica eruditum fuisse nobis persuadebitur. Quin longius

---

[1] Wendland ap. Gercke-Norden, Einleitung in die Altertumswiss. I[2] (1912) p. 232.

[2] Isocr. Paneg. 8; cf. Kroll, Studien p. 108, 142, 144.

[3] pro Arch. 18.

progredi nobis licitum esse videtur. Nam artes grammatica rhetoricaque tam tenui muro dissaeptae erant, ut imprimis Rhodi, postea Romae[1] permultos viros doctos in utraque versatos esse notum sit. Quam gnarus autem praeceptorum rhetoricorum Lucillus grammaticus fuerit, modo vidimus aliisque documentis infra ostendetur.

Quare me temeritatis opprobrium subire non puto, cum Lucillum ipsum quoque hanc artem non solum novisse, sed etiam exercuisse opinor. Hoc enim posito atque concesso dilucidum fit, cur tantus epigrammatum numerus in rhetores pertineat. Praeterea illud soloecismorum venandorum studium, quo in epp. XI 138, 143, 148 poetam occupatum invenimus, rhetoribus acceptum erat. Quin in gestu quoque, ut Quintiliani[2] verba mea faciam, nonnulli putabant idem inesse vitium, cum aliud voce, aliud nutu vel manu demonstrabatur. Quo spectat, quod Lucillus Flacco rhetori crimini dat (XI 148, 3), qui *τῇ χειρὶ τὰ λοιπὰ σολοικίζει διανεύων.* Accedit etiam, quod illas *ἠθοποιίας,* quibus rhetores, ut ait Quintilianus,[3] „plerumque rusticos, superstitiosos, avaros, timidos secundum condicionem positionum effingebant“, Lucillo argumenta suppeditasse facile cognoscitur. Qua in re cum illi Theonis[4] praecepto, ut descriptionibus nova comoedia exemplo esset ad imitandum, adeo paruerint, ut Kockius[5] ex praeexercitamentis rhetoricis totas fabularum partes restituere conari posset, nemini mirum videbitur, quod haec epigrammata rhetorumque positiones inter se conectere audeam. Nam quis est, qui neget argumenta epigrammatis XI 171 illiusque thematis, quo Libanius[6] ingenium suum venditat: *φιλαργύρου παῖς τοῦ πατρὸς κάμνοντος ηὔξατο τῷ Ἀσκληπιῷ τάλαντον δώσειν, εἰ ὁ πατὴρ τὴν νόσον φύγοι· ὑγιάνας ὁ πατὴρ ἀποκηρύττει τὸν παῖδα,* aliquam prae se ferre similitudinem? Iam vero ep. XI 211 Lucillus de timido quodam declamitans positionem a Libanio[7] relictam persequitur: *τίνας ἂν εἴποι λόγους δειλὸς θεασάμενος πόλεμον ἐν τῇ ἰδίᾳ οἰκίᾳ γεγραμ-*

---

[1] Sueton. de gramm. 4; 6; 7; 10, cf. Kroll, Stud. 105, 44.
[2] inst. or. I 5, 36. [3] ibid. VI 2, 17. [4] Rhett. Gr. II p. 68, 24 Sp.
[5] Neue Bruchstücke attischer Komiker, Herm. 21 (1886) p. 395 sqq.
[6] Liban. VII p. 117; cf. ibid. p. 142 F. [7] vol. VIII p. 417 F.

μένον. Atque id quoque, quod ep. XI 388 in disputationem deducitur, num satius sit iugum ferre quam caelibem manere, in rhetorum scholis multum videtur iactatum esse; namque ipse Theo thema εἰ γαμητέον dignum iudicavit, de quo in praeexercitamentis verbose dissereret.[1]

Quid mirum quod ep. X 122 quoque huic numero attribuendum esse affirmo? Rossbachius quidem, ut id quod olim docuerat, Lucilium Iuniorem epigrammatum esse poetam, denuo defenderet novoque argumento confirmaret, hoc carmen ex Senecae verbis:[2] „deus exstruit alia, alia summittit" natum esse nuperrime[3] statuit. Attamen a me impetrare non possum, ut ad cogitationem tam vulgarem saepissimeque enuntiatam eiusmodi adiumento Lucillo opus fuisse credam. Nempe non solum Hesiodus,[4] Archilochus,[5] Sophocles,[6] Euripides[7] simillima effati sunt, verum etiam apud Xenophontem[8] est: ὁ θεὸς πολλάκις χαίρει τοὺς μὲν μικροὺς μεγάλους ποιῶν, τοὺς δὲ μεγάλους μικρούς. Sed longe abest, ut credam cuiquam horum auctorum Lucillum hoc argumentum debere. Nam Seneca rhetor planissime testatur[9] eiusmodi „de fortunae varietate" querimonias tritissimum rhetorum communem locum fuisse, quem versibus persequi Lucillum voluisse veri similius sit. Quae opinio ea quoque re probari videtur, quod Ausonius, rhetor ille Burdigalensis, qui praeter alia hoc Lucilli carmen Latine expressit,[10] super versus suos posuit verba: „de fortunae varietate".

Sed alio quoque modo Lucilli epigrammata cum doctrina veterum rhetorica cohaerent. Aristotelis enim ac Theophrasti vestigia prementes permulti viri docti, imprimis Peripatetici, proprios περὶ γελοίου libros composuerant, qua in re nonnulli eo processerant, ut „eius rei rationem quandam cona-

---

[1] Rhett. Gr. II p. 120, 15 et 125 Sp. Idem testantur Quint. (inst. or. II 4, 25), Libanius (vol. VIII p. 550 F.), Apthonius (Rhett. Gr. II p. 49, 17 et 50, 5 sqq. Sp.).

[2] nat. quaest. III praef. 9.

[3] Berliner philol. Wochenschr. 1918 p. 147.

[4] Ἔργα καὶ ἡμέραι 6. [5] frg. 58 Diehl. [6] Ai. 131.

[7] Troad. 612 et F. T. G. 716 N.

[8] Hell. VI 4, 23, cf. Herodot. VII 10, 5.

[9] controv. I 8, 16 et suas. 1, 9. [10] App. V epigr. 10 Sch.

rentur artemque tradere."[1] Qui libri quamquam ad unum omnes perierunt, tamen quae habuerint, ex tractatu Coisliniano[2] cognosci potest, cuius catalogo locorum ridiculi doctrinam Aristotelicam subesse Arndtius[3] exposuit. Hae autem de ridiculo quaestiones cum iam ab Aristotele, *ἐπειδή τινα δοκεῖ χρῆσιν ἔχειν ἐν τοῖς ἀγῶσιν*,[4] habitae sint, mirum non est, quod et rhetores hanc doctrinam dignam iudicaverunt, quam in scholis studiose tractarent, quamobrem et Cicero[5] et Quintilianus[6] in libris rhetoricis fuse de hac re atque ita egerunt, ut, quae ab iis proferuntur, doctrinae Peripateticae speciem prae se ferant. Ac Lucillum quoque ea, quae ad risum captandum valere Peripatetici docuerant, penitus calluisse iisque se obligavisse haud difficile est ex epigrammatis planum facere. Nam inter omnes ridiculi locos, qui in catalogo tractatus Coisliniani enumerantur, ne unus quidem est, qui in iis adhibitus non sit. Quod ut probem, tantum abest, ut omnia afferam exempla, ut ea solum eligam, quibus ad illustranda carmina nonnihil conferre possum.

Ac duci ridicula tractatus auctor exponit:

I. *ἀπὸ τῆς λέξεως:*

a) *κατὰ τὴν ὁμωνυμίαν:* Exemplis supra (p. 37 et 44) tractatis adicio voculam *ἄξιος* (XI 214, 3), verbum *γράφειν* (XI 233), quod et „scribere" et „pingere", vocem *μύρμηξ* (XI 78, 3), quae et „formicam" et pugilum „caestum"[7] significat.

b) *κατὰ συνωνυμίαν:* Quo in numero illud *χορτασίη* (XI 313, 4) est, cui verbo domicilium est proprium in bestiis. Deinde pro *ἰατρός* Lucillus *κλινικός* (XI 113) dicit, ut feretrum (*κλίνη*) subaudiatur, cui vicini sunt, qui a Marco se curari patiuntur. Porro illud *δόγμα* (XI 10, 2) pro *νόμος* et *χαλκός* (IX 572) pro *ἀργύριον* dictum supra commemoravi.

c) *κατ' ἀδολεσχίαν:* Cuius rei optima exempla ep. XI 216 praebet: *τὸν φιλόπαιδα Κράτιππον ἀκούσατε — τὸν φιλό-*

---

[1] Cic. de or. II 217.
[2] ap. Kaibel, C. G. F. I 1 p. 51.
[3] De ridiculi doctr. rhet., Diss. Bonn. (1904) p. 9, cf. Mary A. Grant, The ancient rhetorical theories of the laughable, Madison 1924.
[4] rhet. III 18, p. 1419 b 2.
[5] de or. II 235—289.
[6] inst. or. VI 3, 1—112.
[7] schol. Apollon. Rhod. II 52.

παιδα Κράτιππον ἀνεύρομεν et ἤλπισα τοῦτ᾽ ἂν ἐγώ — ἤλπισα τοῦτο Κράτιππε. Praeterea illud εἰ δ᾽ ὄντως οὕτως τοῦτ᾽ ἔστ᾽ ἔχον (XI 132, 5), quo poeta belle pingit, quantopere animus ea, quae antecedunt, asciscere refugiat, huic pleonasmi generi annumerare possumus.

d) *κατὰ παρωνυμίαν* (*παρὰ πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν*): Qua in re versantur *γραμματολικριφίδες* (XI 140, 2) pro *γραμματικοί, νεκρότερος* (XI 135), *πρωτοκύων* (XI 154, 4) pro *προκύων, κακοστόματος* (XI 155, 4), quam vocem Lucillus *παρὰ γράμμα σκώπτων* ex verbo *κακοστόμαχος* novavit.[1] Postremo totum carminis XI 197 acumen in ioculari paronymia versatur.

e) *καθ᾽ ὑποκόρισμα* saepissime: e. g. *δειπνάριον* (XI 10), *ὠτάριον* (XI 75), *βιβλάριον* (XI 78), *μισθάριον* et *χιτωνάριον* (XI 154).

f) *κατ᾽ ἐξαλλαγήν: α) φωνῇ: νέα — Ῥέα* (XI 69, 2), *τροφῆς — μονῆς* (XI 391, 4); *β) τοῖς ὁμογενέσιν: προσωπεῖον ... πρόσωπον* (XI 408, 4).

g) *κατὰ σχῆμα λέξεως:* Cuius generis oppositio *ἔξω ... ἔνδον* (XI 278) est et in ep. XI 315 artificiosa verborum collocatio, quam Graeci *χιασμόν* appellant.

Neque minus efficaces aliae quoque figurae rhetoricae sunt, quibus Lucillus epigrammata ornavit:

α) annominationes: *πλοῖον παντὸς πανταχόθεν πελάγους* (XI 247, 2); similes XI 294; 314, 3 et 4.

β) traductiones: *κἀγὼ — κἀμοὶ — κἀμόν* (XI 206, 3 et 4).

γ) circumscriptiones: XI 11, 2; 135, 6; 155, 4.

δ) simulationes (*εἰρωνεῖαι*): XI 155, 1 et 2, XI 196, 6. Quibus sarcasmum quoque carminis XI 184, 4 annumero.

ε) reticentiae: XI 134, 3.

ζ) anacolutha: XI 148, 4.

η) *ὕστερον πρότερον:* XI 138 *σολοικίζον τὸ στόμα μου δέδεται = ὥστε σολοικίζειν.*

ϑ) exclamationes: *ὦ μεγάλου μυκτῆρος* (XI 405), XI 294, 2.

ι) translationes: *στίχινος θάνατος* (XI 135, 4); *φονικῶν ἑξαμέτρων πόλεμος* et *σάλπιγξον ἀνακλητικόν* (XI 136, 4).

---

[1] Prinz, Martial u. d. griech. Epigrammatik, I (1911) p. 73, 1.

κ) pronominationes: *Νηρέος ἀγλαὰ τέκνα* = pisces (XI 245, 3); *τῷ Πίσης μεδέοντι* = Apollini (XI 258, 1).

λ) denominationes: *πόμα Βάκχου* (XI 403, 5).

μ) abusiones frequentissimae:[1] e. g. *πηγὴ δ' ὠκεανοῦ ξυλίνη* (XI 247, 4); *ψυλλῶν ἱππικόν* (XI 265, 2).

Quae figurae tropique maximam partem sublimis tantum dicendi generis propriae ea re ridiculi aliquid per se[2] efficiunt, quod eiusmodi pigmenta horum epigrammatum argumentis accommodata non sunt. Quare id quoque, quod in multis carminibus Lucillus dialecto Dorica hymnis canticisque solis concessa usus est (cf. epp. XI 81; 174, 1; 176; 177, 1; 178, 1), his ridiculi locis attribuendum est.

II. *ἐκ τῶν πραγμάτων.*

a) *ἐκ τῆς ὁμοιώσεως*: Atque helluatur poeta comparationibus ex historia fabulari petitis, cuius eum peritissimum fuisse ita planum fit. Quas adhibuit: *α) χρήσει πρὸς τὸ χεῖρον;* nam, ut exemplum afferam, ep. XI 239 Telesillae odor cum fetore comparatur, quo Chimaera, Lemniadae, Harpyiae, Philoctetis pes putidus omnia impleverant; *β) χρήσει πρὸς τὸ βέλτιον,* quo in numero ep. XI 88 est: Erotion, quae tam pusilla est, ut culex eam abducere possit, suam fortunam cum fortuna Ganymedis aquila ad Iovem deducti comparat.

b) *ἐκ τῆς ἀπάτης:* Cuius generis optimum exemplum ep. XI 233 est, ubi pictor pragmaticum dolo capit.

c) *ἐκ τοῦ ἀδυνάτου:* Quod genus poeta frequentissimis expressit hyperbolis (cf. XI 89, 90, 91).

d) *ἐκ τοῦ ἀδυνάτου καὶ ἀνακολούθου:* Quo in numero ep. XI 192 est, ubi Diopho cruci affixus, quod alium in maiore cruce pendentem videt, . . livore emoritur.

e) *ἐκ τοῦ παρὰ προσδοκίαν:* Quod „notissimum ridiculi genus est", ut ait Cicero (255), „cum aliud exspectamus, aliud dicitur". Ad quod omnes Homeri aliorumque poetarum versus pertinent, quos poeta parodice deflexit; deinceps affero

---

[1] Sakolowski, l. l. p. 29 sqq.

[2] Suess, Das Problem des Komischen im Altertum, N. Jahrb. f. d. klass. Alt. 45 (1920) p. 39.

e. g. epp. XI 85 et 91, ubi inopinatum narratiuncularum exitum verbis *καὶ τί γὰρ* etiam eminentiorem facere conatur.

f) *ἐκ τοῦ παρασκευάζειν τὰ πρόσωπα πρὸς τὸ μοχθηρόν:* Quod iocorum genus Cicero hominis „patientis et lenis“ esse dicit (279), quem epigrammata XI 84 et 393 depingunt, quae molli quodam queruloque vocis sono recitata esse in animo cogito.

g) *ὅταν τις τῶν ἐξουσίαν ἐχόντων παρεὶς τὰ μέγιστα φαυλότατα λαμβάνῃ:* Sicut apud Lucillum (XI 171) homo dives quidem, sed tenax mortifere aegrotans vitam amittere quam medico adhibito mercedulam solvere mavult.

h) *ὅταν ἀσυνάρτητος ὁ λόγος ᾖ καὶ μηδεμίαν ἀκολουθίαν ἔχων:* Cuiusmodi ea sunt, quae Eutychides (XI 177, 3 et 4) Apollini dicit. Ac simillima sunt, quae Cicero (274) subabsurda appellat et Lucillus (ut ep. XI 163, 5 et 6) ad risum movendum adhibuit.

Atque hunc locorum ridiculorum catalogum ex Cicerone etiam amplificare possumus, qui proverbia quoque apte inserta, nominum interpretationem, narrationes acumen habere exponit (257, 258, 264). Quod Lucillo quoque notum fuisse ex multis proverbiis, quae supra (p. 46 sqq.) attuli, et epp. XI 210, 5 et 6 cognoscimus, ubi in nominibus Polemonis, Stratoclidae, Lysimachi facete luditur. Narrationes denique salsae in epp. XI 159, 233, 391 aliis usui sunt.

Maxime autem, ait Cicero (248), homines delectari, si quando risus coniuncte re verboque moveatur. Hanc quoque rem Lucillum in usum suum contulisse ex ep. XI 295 cognoscitur:

εἴ τιν' ἔχεις Διόνυσον ἐνὶ μεγάροισι τεοῖσιν
. . . *τὸν κισσὸν ἀφελὼν θριδάκων φύλλοις στεφάνωσον.*

Quo carmine ad griphorum similitudinem prope accedente poeta acidissimum cuiusdam vinum deridet, quod ut acetum ad lactucam condiendam natum sit. Ridiculum autem et in argumento tropice expresso et in verbis positum est. Nam ut altero versu sententia prioris versus, qui verbis Homericis *ἐνὶ μεγάροισι τεοῖσιν* grandiloquum quendam sonum accepit, longe aliter convertitur atque exspectaveramus, ita versum hexametrum quoque praeter exspectationem — in

hoc carmine solo — pro pentametro alter hexameter de industria, ut videtur, male structus sequitur.

Lucillum igitur Peripateticorum *περὶ γελοίου* praecepta secutum esse cum hae res ostendunt, tum planius intellegetur, ubi „magnum numerum aequalium cuiusvis generis", quos in epigrammatis commemoratos esse Usenerus[1] existimavit, accuratius inspexerimus. At vix credi potest poetae in animo fuisse certos sui temporis homines vellicare eosque, qui tum haec carmina legerunt, ex iis cognovisse, in quem poeta iocaretur. Cui opinioni vel id videtur repugnare, quod derisorum figurae, quibus praeter nomina fere nihil proprii poeta indidit, inanium umbrarum magis quam certorum hominum speciem prae se ferunt. Nominibus autem Lucillum non certos homines significare voluisse ex ea quoque re, quod saepissime praenomina Romana, velut Publium (XI 206), Gaium (XI 92, 100, 265), Marcum (XI 85, 93, 94, 113, 135, 143, 276, 277, 312), Aulum elegit, dilucide apparet. Huc accedit, quod haec praenomina hominibus diversissimis indita sunt. Nam, ut exemplum afferam, nomen Aulus in ep. XI 10 grammatico, 164 astrologo, 172 homini avaro, 176 furi, 205 homini voraci, 210 militi, 258 pugili est. Atque certius idem ex hac re efficere licet: ille iocus, quem ep. XI 100 habet, Aeliano[2] teste de Phileta grammatico ferebatur. Quem inde sibi notum Lucillus renovat memoratque . . . de Gaio. Neque magis putandum est ea, quae ep. XI 176 de Aulo fure narrata sunt, re vera facta et a Lucillo ad sales translata esse. Nam praeterquam quod iam Philippus[3] simillimo argumento lusit, eundem salem in titulo Chii insulae[4] invenimus:

Ἑρμῆν τὸν κλέπτην τίς ὑφείλετο; θερμὸς ὁ κλέπτης,
ὃς τῶν φιλητέων ᾤχετ' ἄνακτα φέρων.

Qua in re ficticiumne hoc epigramma, ut Kaibelius voluit, an, quae est Boeckhii sententia, sublata a fure statua ab homine iocoso in basi scriptum sit, nihil refert; id enim dubium non est, quin hoc ridiculum argumentum ab aliis

[1] Kleine Schriften II p. 312 (= Sitzungsberichte der bayr. Akad. 1892 p. 644).

[2] V. H. IX 14. [3] A. P. XVI 193.

[4] C. I. G. n. 2229 (ap. Kaibel n. 1108).

excogitatum circumlatumque a Lucillo libenter novatum sit. Atque ep. XI 85 denique poetam illud ioculare repetere fusiusque enarrare, quod de Callippo memorabatur, supra (p. 47) dixi. Sed Lucillus stadiodromo nomen Marcum indidit.

Quae cum ita sint, in omnibus his carminibus praenomina a poeta allata tam parvi momenti esse cognoscuntur, ut manente poetae consilio rationeque pro Gaio praenomen Auli vel Marci usurpari potuisset. Ac suo iure Birtius[1] iurisconsultorum morem cum hac re comparavit, qui adulescentes ius Romanum rerum exemplis docentes alterum litigantem Gaium, alterum Lucium nominabant. Quod autem poetam haec praenomina a iurisconsultis ipsis mutuatum esse putat, hoc mihi propterea parum probabile videtur esse, quod poetam vix quidquam rationis cum illis habuisse e carminibus apparet. Propius ad veritatem nos admovere videtur aliud: in colloquiis scholasticis nobis traditis, quibus quomodo grammatici pueros utramque linguam docuerint paene sub aspectum nobis subicitur, traduntur haec:[2] „quis pulsat ostium? . . . A Gaio ad Lucium . . . venit a Gaio", et Marius Victorinus de voculae „cum" scribendae ratione disputans exponit haec:[3] „cum, si erit coniunctio, ut cum Gaio, cum Lucio, per ‚c' scribi debet". Etiam grammaticos igitur praenomina Romana tum usurpare solitos esse intellegimus, cum certos homines significare nolebant, unde et iurisconsultos et Lucillum grammaticum in his epigrammatis hanc consuetudinem sumpsisse non sine veritatis specie mihi videtur esse.

Sed redeamus in viam. Restat enim, ut anquiramus, num cetera nomina, quae apud Lucillum occurrunt, certos homines designent. Atque initium faciamus ab ep. XI 177, ubi de Eutychide fure similia narrantur atque carmine XI 176 de Aulo. Huc accedit, quod idem nomen melicus (XI 133), stadiodromus (XI 208), conviva Auli (!XI 205) habent. Quare hoc quoque nomen ficticium esse apertum est. Atque idem de ep. XI 171 dicendum est, ubi poeta hominem avarum deridet, qui bonis suis heredem se ipsum instituit. Nam cum

---

[1] l. l. p. 147.

[2] Corpus Glossariorum Latin. III p. 646, cf. pp. 643, 648, 649.

[3] G. L. VI p. 13, 13 K.

in „Philogelote“ (ϱδ') scriptum sit: *φιλάϱγυϱος διαθήκας γϱάφων ἑαυτὸν κληϱονόμον ἔταξεν,* Lucillum notum ridiculum versibus latius persequi patet. Quare neque hic Hermocrates neque ille Hermon, qui in ep. XI 264 commemoratur, certi illius aetatis homines fuerunt. Elegit autem poeta haec nomina, sicut alia, quod versuum legibus conveniebant.

Neque vero minus commenticia ea nomina sunt, quorum significatione respecta carminis acumen etiam augetur. Quae res ex ep. XI 210 optime cognoscitur. Ubi nomen Auli, militis ignavi, fictum esse modo (p. 62) vidimus. Quod igitur Lucillus adicit hunc Aulum potissimum Lysimacho, numquam Polemone vel Stratoclida familiariter uti, his nominibus — imbelli et bellicosis — certos homines non denotari nemo non videt. Atque epigrammatis XI 80 sal totus in interpretando nomine pugilis situs est, qui nomen *Ἆπιν* hominem mitem significans habet: *οὐδένα γὰϱ πώποτ' ἐτϱαυμάτισεν.* Inepto denique medico oculario, qui in ep. XI 115 cum Iside et Harpocrate confertur, poeta nomen Simonis dedit, quod hoc nomen, ut Crusius[1] ostendit, poetarum, qui post Alexandrum fuerunt, auribus taedium afferebat. Quibus nomina *Μάκϱων* (XI 95) et *Εὐμήκιος* (XI 105) annumeranda sunt hominibus perpusillis *κατ' ἀντίφϱασιν* indita, praeterea nomen *Εὔτυχος* (XI 215) ioci causa pictori datum, qui viginti quidem liberos, sed nullum habitu oris et corporis sibi parem sustulit. Haec ergo nomina ad unum omnia ea mente a poeta ficta sunt, ut ridiculus carminum effectus acueretur, quorum natura eos plane fefellit, qui certos homines iis significari putaverunt.

Porro Lucillus aeque ac Martialis[2] hominum mortuorum nomina non semel usurpavisse videtur. Nam, ut nonnulla exempla afferam, in ep. XI 185 malum Nauplii actorem Hegelochum nominat, quod nomen illi histrioni verum fuerat, quem Euripidis versum verbo perperam enuntiato in ineptam sententiam detorsisse etiam serioribus grammaticis[3] notum erat. De Milone porro Crotoniata a posteriorum saeculorum

---

[1] Untersuchungen z. d. Mimiamben des Herondas p. 60.

[2] Friedlaender, Martial, I praef. p. 21 sqq.

[3] schol. Aristoph. Ran. 303; schol. Vat. in Dion. Thrac. art. gramm. p. 163, 22 Hilg.

hominibus mirabilia narrabantur.[1] Quod igitur Lucillus (XI 316) athletae inhabili hoc nomen imponit, eo carminis salem augeri planum est. Praeterea nomen Aristonis, quod in ep. XI 253 duro saltatori inditum invenimus, nescio an ab illo Aristone sumptum sit, qui olim cum omnes Romanos, tum Crinagoram[2] suavissime affecerat voluptateque perfuderat. Sed hunc ipsum a Lucillo significari, quae est Iacobsii sententia, utriusque aetatem eamque rem respicienti, quod Aristo apud Crinagoram cantor, apud Lucillum saltator est, parum veri videbitur simile esse.

Quibus rebus perpensis relinquitur, ut de nominibus Hermogenis Heliodorique, quibus homines claritate praestantes a poeta appellatos esse nonnulli viri docti putaverunt, paulo accuratius agam. Ac Gossenus[3] quidem Hermogenem, medicum illum Smyrnaeum, cuius scientiam pluribus disciplinis variisque eruditionibus ornatam fuisse titulus[4] praedicat, a Lucillo ludificari coniecit. Sed quoniam hunc medicum altero p. Chr. n. saeculo floruisse Gossenus ostendit, Lucillum autem imperatore Nerone vixisse supra demonstravi, haec opinio prorsus reicienda est. Immo enimvero hoc quoque nomen commenticium esse haud difficile est cognitu. Hermogenes enim medicus bis (XI 114 et 257) una cum Diophanto a Lucillo commemoratur. Hunc autem Diophantum, cum in ep. XI 103 homo pusillus, XI 111 homo macilentus, XI 114 astrologus, XI 245 nauta sit, certum hominem non fuisse pro explorato habeo. Quare et Diophanti et Hermogenis nomina ficticia ideoque tam saepe a poeta usurpata esse apparet, quod versibus dactylicis facillime inseri poterant, id quod ea quoque re confirmatur, quod verba *Ἑρμογένην τὸν ἰατρόν* bis (XI 114, 1 et 257, 1) eodem versuum loco posita sunt. Atque accedit hoc: opinionis apud Graecos pervagatae Artemidorus[5] meminit, aegrotantem, qui Mercurium in somno vidisset, moriturum esse. Quod argumentum Lucillus (XI 257) in medicum indoctum transtulit eique nomen

---

[1] Cic. Cat. M. 27 et 33, schol. Theocr. IV c—e, 6 c, 10 e (Wendel)
[2] A. P. IX 429.
[3] P. W. VIII 1 s. v. Hermogenes (23) col. 877 sq.
[4] C. I. G. n. 3311. [5] Onirocrit. II 17.

Hermo-genis, id est Mercurio nati, imposuit. Insuper idem nomen homo pusillus (XI 89) et homo hirtus (XI 190) habent.

Quod denique poeta grammaticum quendam (XI 138) et epigrammatum poetam (XI 134 et 137) Heliodorum nominat, non desunt, qui haec carmina in Heliodorum metricum facta esse opinentur. Sed licet verum sit, quod Hensius[1] contendit, hunc metricum medio circiter primo p. Chr. n. saeculo floruisse, attamen hoc nomen usitatissimum fuisse ex titulis cognoscimus. Accedit quod poeta in ep. XI 183 furi quoque nomen Heliodori indidit, in ep. VI 24 autem piscatori, qui, postquam diu irritam exercuit piscationem, tandem retia sua templo Deae Syriae infert. Quo in carmine hoc nomine, quod aeque ac nomen *Ἡλιόπαις* hominem omnibus fortunae bonis instructum designat, salem magnopere augeri Doelgerus[2] lepidissime dixit. Quare hac ipsa mente nomen a Lucillo delectum et adhibitum esse certum est.

Quae cum ita sint, etiam in hac re Lucillus Aristotelis[3] et Peripateticorum *περὶ γελοίου* praecepta secutus est, quae ex media novaque comoedia parata illuc pertinebant, ut certis hominibus non nominatis tota hominum genera ordinesque producerentur. Cum autem et hanc de ridiculo doctrinam et multa alia in epigrammatis tractata in earum rerum numero fuisse supra viderimus, quae a rhetoribus praecipiebantur, quin praeter grammaticam Lucillus rhetoricam quoque artem multo lucrosiorem exercuerit, non dubito.

His igitur satis cognitis nunc breviter complectamur, quae de poetae persona carminumque natura ex epigrammatis didicerimus. Atque Lucillus genere Graecus erat, qui iuvenis permultorum popularium exemplum secutus Romam se contulit ibique artem grammaticam rhetoricamque profitendo paupertatem sustentavit. Neque vero diu eum in tenebris iacuisse certum est; namque ei contigit, ut imperatoris Neronis animum ad se converteret, qui afflictam poetae condicionem beneficio sub-

[1] Heliodorische Untersuchungen (Leipz. 1870) p. 167, cf. v. Wilamowitz-Moellendorff, Griech. Verskunst (1921) p. 78.

[2] *Ἰχθύς* II (1922) p. 172.

[3] in altero de arte poetica libro deperdito.

levavit. Ex ea quoque re, quod vehementibus aemulorum ventis circumflatus esse videtur (XI 132), effici cogique potest inter crebros grammaticos, qui Neronis aetate Romae florebant, Lucillum aliquo numero fuisse. Maximi autem momenti ad nostram quaestionem dissolvendam est, quod Aristarcheorum sectam, quam tum velut arbitram artis grammaticae dominatam esse infra videbimus, secutus non est, neque desunt indicia, ex quibus Pergamenorum Stoicorumque doctrinam nonnihil apud eum valuisse appareat. Quod denique epigrammata eius habitum plane rhetoricum prae se ferunt ac permulta a poeta tractantur, quae ex rhetorum disciplina sumpta esse ostendimus, rhetoricam quoque artem a Lucillo cultam esse suspicamur.

Ac restat, ut paucis exponam, ad quod litterarum genus haec epigrammata proxime accedant. Errant enim, qui cum satura ea coniungenda esse arbitrantur. Nam cum saturarum scriptores ridendo verum dicentes serio audiri velint, ut mores emendent, Lucillus plurimis carminibus id tantum propositum habet, ut facete dictis risum evocet. Quare horum epigrammatum argumenta cum iis maxime congruunt, quae *γελωτοποιοί* et *φιλοσκῶπται*, quos dicit Athenaeus,[1] inter pocula adhibebant. Cuiusmodi iocularia, quibus homines in conviviis se oblectarent, iam multo ante Lucilli aetatem collecta iurisque publici facta erant; nam iam apud Plautum[2] parasitus libros inspicit „obtenturus regem ridiculis logis“. Praeterea Melissus Suetonio[3] teste „libellos ineptiarum, qui nunc iocorum inscribuntur, composuit“, et Quintilianus[4] facete dictum Ciceronis „ex libro quodam ioculari“ sumptum affert. Apud Graecos autem quidquid talium syllogarum videtur exstitisse, Hierocles Philagriusque grammatici in unum librum, qui inscribitur Philogelos, confuderunt. Quae hic *περὶ εὐτραπέλων, δυσκόλων, ἀφυῶν, δειλῶν, ὀκνηρῶν, φθονερῶν, ὀζοστόμων* narrantur, persimilia iis esse, quae apud Lucillum legimus, epp. XI 159—163 cum Philog. n. 201—205 comparantes cognoscimus. Praeterea illa *γυνὴ μαχίμη* (ep. XI 79, 3) etiam

---

[1] Athen. XIV p. 613d et 616b.

[2] Stich. 454 sqq.

[3] de gramm. 21.

[4] inst. or. VIII 6, 73.

in Philogelote n. 249, verbum μύρμηξ de caestu et formica ambigue usurpatum in Philog. n. 172 et 210 nobis occurrit. Ep. XI 171 et Philog. n. 104 iam supra inter se collata sunt, cuius carminis argumentum in Philog. n. 27 quoque tractatur. Quod denique Lucillus herniam natantium levamentum esse iocatur (epp. VI 166 et XI 404), idem Philogeloti n. 119 lacunose, ut videtur, tradito subesse opinor.

Caput III.

De Lucillo Tarrhaeo.

Quibus cognitis nunc quaeramus, in quem grammaticum ea, quae ex carminibus de auctoris persona extricavimus, cadant. Qua in re cum id, quod ep. XI 140 poetam Aristarcheos libere perstringere intelleximus, discrimen facturum esse videatur, de singularum sectarum differentia atque historia nonnulla, quae scire procedente disputatione nobis conducere apparebit, hoc loco proponi expedit.

Atque Aristophanes Byzantius, Aristarchus, Crates, celebratissimi apud veteres artis grammaticae principes,[1] vel ob hanc causam illo nomine digni sunt, quod viae rationesque eorum unius cuiusque propriae per complura saecula longis discipulorum seriebus exemplo fuerunt eaque, quae studiis effecerant, quasi hereditate tradita ac dilatata sunt. *Ἀριστοφάνειοι* quidem, quorum rationis quid proprium fuerit, ex paucis fragmentis, quae aetatem tulerunt, cognosci nequit, usque ad medium circiter primum a. Chr. n. saeculum exstiterunt;[2] subinde autem omnia eorum vestigia intereunt.

Sed Aristarchi schola multo diutius mansit idque merito. Nam nulli philosophorum disciplinae subiectus hic in enarrandis Homeri carminibus suam investigandi veri rationem in artis perpetuis praeceptis ordinatae modum redegit et ut homo vere grammaticus id imprimis spectavit, ut studiis circa singulas voces subtilissimis fructuosisque nixus lectiones librariorum manu depravatas emendaret. Quae studia verborum explicationi potissimum dedita et interpretandis Homeri car-

---

[1] Sext. Emp. adv. gramm. 44.

[2] cf. v. Wilamowitz, Lesefrüchte, Herm. 35 (1900) p. 543 sq. et Christ-Schmid, G. L.[6] II 1 (1920) p. 264.

minibus exculta quamquam paulatim in alios quoque scriptores translata sunt, tamen Homerum semper imprimis respexerunt. Atque Aristarchi singularis et divina vis ingenii, cuius rationem etiam Panaetius, Cratetis discipulus,[1] laudibus ad caelum effert,[2] sectatores quoque paucis exceptis quasi compede in admiratione sui ita detinuit, ut illud[3] *μᾶλλον πιστευτέον Ἀριστάρχῳ ἢ τῷ Ἑρμαπίᾳ, εἰ καὶ δοκεῖ ἀληθεύειν* id, quod plerique sentiebant, videatur expressisse. Quorum studium in ea tantum re positum erat, ut perceptam Aristarchi rationem doctrinamque conservarent tutarenturque, quae quam simplex et una manserit ex Heracleonis[4] verbis elucet: *ὄρρ' Ἀταλάντην] οἱ δὲ Ἀριστάρχειοι δι' ἑτέρου ρ̄ ἔχουσιν τὰς τοιαύτας γραφάς.* Atque idem commentarius[5] in Iliadem papyraceus docet, qui, cum medio fere primo a. Chr. n. saeculo compositus esse editoribus videatur, ante Didymi et Aristonici aetatem ortus est. Cuius auctor aeque atque Aristonicus verbis *ἡ διπλῆ, ὅτι . . ., τὸ σημεῖον, ὅτι . . .* signa Aristarchea iisdem fere explicat, quae in cod. Ven. A leguntur, unde *παράδοσιν* Aristarcheam diutissime intra discipulos viguisse planum fit. Duae autem res notatu dignissimae sunt, primum quod Aristarchei quaestiones suas certa et quae disci posset ratione instituebant, alterum quod analogiae studio, quod Aristarchus scholae suae tamquam principium constituerat disciplinaeque vinculis restrinxerat, multiplices verborum Graecorum formas generibus illustrabant partibusque distribuebant. Quae res ut Romani quoque grammaticis Alexandrinis principatum darent effecerunt.

Qua ab Aristarchi, vere grammatici, ratione immane quantum discrepat Cratetis disciplina, viri litteratissimi Stoicorumque sapientiae addicti. Nam quamquam hic ea re, quod longe aliter atque ille in rerum interpretatione praecipue versatus est, procul dubio optime meruit, tamen cum totam posteri-

---

[1] Strab. XIV p. 676.

[2] Mutschmann, Das Genesiszitat in *Περὶ ὕψους,* Herm. 52 (1917) pag. 185.

[3] schol. Ven. *A* ad Il. *Δ* 235. [4] schol. Apoll. Rhod. I 769.

[5] Pap. Oxyrh. n. 1086: vol. VIII (1911) p. 81 sqq.; Koerte, Archiv für Papyrusforschung 6 (1920) p. 252.

orum scientiam iam Homero tribuendam esse arbitratus contortis et allegoricis interpretationibus uti non dubitaret, hominis vaticinantis saepius quam severi grammatici speciem praebet. Accedit huc, ut a pusillis Aristarchi quaestiunculis plane aversus etiam solida studiorum fundamenta iacere neglegeret, quae ille Homerico loquendi usu diligenter observato codicibusque critica ratione examinatis sibi comparaverat. Qua in re eo usque progressus est, ut mendosa carminum Homericorum exemplaria interpolationibusque ad cognoscendum haud ita difficilibus saepissime depravata,[1] quin etiam codicem Orphicis[2] versibus auctum adhibere non dubitaret. Quae ratio cum inventioni et excogitationi singulorum sectatorum nimiam libertatem daret, intra Pergamenorum scholam illam conspirationem omnium, qua valebant Alexandrini, nullo unquam tempore efficere potuit.

Cum vero Attalus, ultimus rex Pergami, mortuus esset, etsi scholae Crateteae auctoritatem minutam esse non desunt indicia,[3] tamen Cratetis rationem adeo non exolevisse certum est, ut apud ipsos Aristarcheos quosdam multum gratia valere coeperit. Apionis quidem deviam interpretandi rationem Cratetis exemplo effectam esse iam veteres cognoverunt, quod ab Achille Tatio[4] discimus: *μαρτυροῦσι δὲ Κράτης καὶ Ἀπίων ὁ Πλειστονίκης, ὅτι ἀστρονόμος Ὅμηρος.* Cum autem Apio, „quem Tiberius Caesar cymbalum mundi vocabat, cum propriae famae tympanum potius videri posset“,[5] praecipue „ostentationis studio“[6] ad Pergamenorum similitudinem propius accessisset, alii, qui suo magis iudicio stare solebant, propterea eorum scriptis se involverunt, quod minus parati iurare in verba magistri adversarios quoque Aristarcheorum quae respicerentur digna protulisse sentiebant. Quo in numero Ptolemaeus ille Ascalonita est, quem Aristarchi secta-

---

[1] Helck, De Cratetis Mallotae studiis criticis, quae ad Iliadem spectant, Diss. Lips. 1905 p. 29 et 47; et De Cratetis Mall. stud. crit., quae ad Odysseam spectant, Progr. Dresd. 1914 p. 26 et 39.

[2] Helck, Diss. p. 31.

[3] v. Wilamowitz, Asianismus und Atticismus, Herm. 35 (1900) p. 48 sq.

[4] Maass, Commentariorum in Aratum reliquiae, Berl. 1898 p. 30.

[5] Plin. N. H. praef. 25. [6] Gellius N. A. V 14.

torem fuisse cum testimonio Stephani Byzantii[1] tum ea re probatur, quod analogiae rationem defensitavit.[2] Eidem vero Pergamenorum studia tantae fuerunt curae, ut librum *περὶ τῆς Κρατητείου αἱρέσεως* scripserit. Quem quod Herodianus non semel Aristarcho eiusque discipulis opposuit (*τοσαῦτα Ἀρίσταρχος καὶ οἱ ἀπ' αὐτοῦ. Πτολεμαῖος δὲ κτλ.*),[3] huius rei causa in eo posita videtur, quod in aliis quoque operibus suum quoddam institutum tam saepe secutus est, ut in numerum Aristarcheorum non referendus illi videretur. Ac simillima in Seleuci fragmentis animadvertimus, qui non solum libro *κατὰ τῶν Ἀριστάρχου σημείων* in coryphaeum illum ad astra sublatum pugnavit, verum etiam et alibi Cratetis studia Homerica intuitus est et legem illam *Ὅμηρον ἐξ Ὁμήρου σαφηνίζειν* aspernatus similiter atque Crates aliorum quoque poetarum loquendi usum,[4] ut de dubiis lectionibus decideret, adhibuit.

Atque Cratetis rationem etiam imperatorum aetate vividam fuisse non solum illi Aristarchei, qua erant propensa adversus eam voluntate, sed etiam nonnulli viri docti ostenderunt, qui ab Aristarchi schola non profecti Cratetis sectam aut secuti aut se sequi opinati sunt. Quo in numero cum illum Heracleonem habemus, quem in Aristarcheis ipsum se non duxisse ex verbis eius modo allatis propriosque sectatores circum se habuisse ex scholiastae[5] verbis *οἱ περὶ τὸν Ἡρακλέωνα* intellegitur, tum Telephum Pergamenum, qui Cratetis exemplum secutus *κριτικόν* se appellavit librisque *περὶ τῆς Ὀδυσσέως πλάνης, περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ σχημάτων ῥητορικῶν, ὅτι μόνος Ὅμηρος τῶν ἀρχαίων ἑλληνίζει* compositis etiam altero p. Chr. n. saeculo Cratetis vestigiis institit.[6] Primo autem p. Chr. n. saeculo Pisistratus Ephesius et Hermogenes floruisse[7] videntur, qui, quantum fragmenta scholiis

---

[1] s. v. *Ἀσκάλων*. [2] Susemihl II p. 156 sqq.

[3] schol. *A* ad Il. *A* 396; cf. schol. *A* ad Il. I 6.

[4] O. Mueller, Über den Papyruskommentar zum *Φ* der Ilias, Diss. Monac. 1913 p. 44 sqq.

[5] schol. *A* ad Il. *E* 638.

[6] Schrader, Telephos der Pergamener, Herm. 37 (1902) p. 530 sqq.

[7] Helck, Diss. p. 69 et Grenfell-Hunt, Pap. Oxyrh. II (1899) p. 85.

Genavensibus nobis tradita ostendunt, ex Cratetis auctoritate pendentes tamquam eius dictata recinere[1] soliti sunt. Idem denique commentarius ille Homeri papyraceus[2] nos docet, quem Augusti aetate ortum omnes Aristarchi scholae proprietates plane deficere editores iure affirmaverunt. Nam praeterquam quod ignotus eius auctor doctrina late fusa praeditus quaestiones propositas tractavit, neque Aristarchi notarum criticarum mentio fit et ex iis, quae de versu *α* 38 proferuntur, auctoris codicem lectionem exhibuisse apparet, quam a Zenodoto et Aristophane receptam Aristarchus reiecerat.

Ex his igitur, quae quamvis breviter exposui, satis intellectum puto extra Aristarchi scholam, quamquam haec ex grammaticorum pugna adeo victrix discessit, ut adversariorum memoriam prope oblitteraverit, tamen etiam imperatorum aetate nonnullos viros doctos exstitisse, qui Cratetis disciplinae plus minus dediti contra torrentem brachia derigere conarentur.

Quae praefati iam verene Usenerus[3] Lucillum Tarrhaeum epigrammatum auctorem esse censuerit anquiramus. Atque pauca ea, quae de hoc viro docto certo scimus, Stephano Byzantio[4] debemus dicenti haec: *Λούκιος δ' ἦν ἀπὸ Τάῤῥας, τῆς Κρητικῆς πόλεως. Φέρεται δὲ τούτου τὰ περὶ παροιμιῶν τρία βιβλία ἄριστα καὶ περὶ γραμμάτων καὶ τεχνικὰ γλαφυρώτατα.* Praeterea eum commentarium in Apollonium Rhodium composuisse et in nominibus oppidorum Macedoniae eorumque historia versatum esse, cuius operis Stephanus nonnulla nobis tradidit fragmenta, inter omnes constat.

Sed quod de nominis eius forma in codicibus concentus non est, primum de hac re pauca verba faciamus. In plerisque enim Stephani Ammoniique codicibus[5] et apud nonnullos scholiastas[5] huic grammatico Cretensi nomen Lucius Tarrhaeus est. Sed plenior nominis forma ab Eustathio[6] Aristophanisque interprete[7] et in cod. Stephani Xylandreo

---

[1] Helck, Diss. p. 67 sqq. et O. Mueller l. l. p. 31.
[2] Pap. Oxyrh. n. 1087: vol. VIII p. 102 sqq., cf. Koerte, p. 253.
[3] l. l. p. 311 (644) sqq.
[4] s. v. *Τάῤῥα.*
[5] vide frg. 1, 5, 6, 7, 13, 14, 15.
[6] ad Il. *Λ* 430, p. 855, 4.
[7] ad Nub. 397.

teste Meinekio[1] exhibetur. Praeterea scholiorum Apollonianorum auctor in subscriptione codicis Laurentiani eum Lucillum nominat. Qui scholiasta cum ea, quae Longinus de Lucillo narraverat in libro, qui *Φιλόλογοι* inscribebatur, se legisse significet, hanc nominis formam inde ipsam quoque sumptam locupletissimo testimonio confirmavit. Atque hi omnes quo iure, si illi nomen Lucius fuisset, eum Lucillum nominaturi fuerint, non video. Contra quomodo forma Lucius orta sit, non difficile est ad explicandum. Nam pro „Lucilius“ quoque in codicibus saepissime „Lucius“ legitur.[2] Ut ille Lucilius Bassus[3] in omnibus Iosephi[4] codicibus, qui nobis hodie in manibus sunt, *Λούκιος Βάσσος* nominatur. Sed usque ad sextum saeculum Iosephi codices hac menda caruisse inde videtur apparere, quod ignotus ille, qui Cassiodoro curante Iosephi libros in Latinum convertit, rectam formam „Lucilius Bassus“ ex exemplari suo sumpsit. Quare ubicumque pro „Lucilius“ aut „Lucillus“ in codicibus hodie „Lucius“ est, haec forma depravata posteriorum librariorum errori imputanda videtur. Atque in editione Ammonii Frelloniana nominis formam *Λουκίλλιον Ταῤῥαῖον* scriptam videri, hoc loco, ut hanc rem plene perficiamus, iterum moneo. Gravius vero id est, quod ille, ut solebat fieri in viris doctissimis, saepissime[5] ethnico solo pro nomine usurpato *ὁ Ταῤῥαῖος* nominatur, unde Lucillum aliqua auctoritate usum esse ratiocinandum videtur.

Quoniam igitur alia de hoc viro docto tradita non sunt, iam quae fragmenta librorum de vita et studiis eius doceant, nobis eruendum est.

§ 1.

De fragmentis librorum *περὶ παροιμιῶν*.

Atque maximam claritatis suae partem Lucillus tribus proverbiorum libris sibi peperisse videtur, quos Zenobius postea cum tredecim Didymi libris in unum corpus confudit.

---

[1] s. v. v. *Θεσσαλονίκη, Κάλαρνα.*

[2] Cichorius, Untersuchungen zu Lucilius p. 7.

[3] cf. Dessau, Prosopogr. Imperii Rom. II p. 302 sq.

[4] bell. Iud. VII 163 Niese.

[5] cf. frg. 2, 3, 8, 9, 10, 11a, 12.

Quae sylloga Zenobiana adeo extenuata decurtataque ad nos pervenit, ut, quae ex utriusque operibus ille sumpserit, perscrutantibus ansas non iam praebeat. Neque magis proverbiorum explanationes a Platonis scholiasta et Stephano Byzantio nobis servatae, quas ex ipso Tarrhaei opere depromptas esse Warnkrossius[1] et Cohnius[2] existimaverunt, ad hanc quaestionem solvendam valent. Nam utrumque integriorem Zenobii codicem adiisse Jungblutius[3] luculenter demonstravit. Quare nihil nobis acceptius esse potest, quam quod quattuor fragmenta Lucillo nominatim adscripta aetatem tulerunt.

Quorum primum apud Ammonium[4] est, quo quae ratio notioni *αἴνου* cum notione *παροιμίας* intercedat sic explicatur: **frg. I:** *αἶνος καὶ παροιμία διαφέρει. ὁ μὲν γὰρ αἶνός ἐστι λόγος κατὰ ἀνάπλασιν μυθικὴν ἀπὸ ἀλόγων ζῴων ἢ φυτῶν πρὸς ἀνθρώπους εἰρημένος, ὥς φησιν Λούκι⟨λλ⟩ος Ταῤῥαῖος ἐν τῷ πρώτῳ παροιμιῶν. οἷον ἀπὸ μὲν ἀλόγων ζῴων, ὡς παρ' Ἀρχιλόχῳ* (sequitur frg. 86 Bgk.) *καὶ πάλιν, ὅταν λέγῃ* (frg. 89 ibid.), *καὶ Ἡσίοδος* (sequ. *Ἐ. κ. Ἡ.* v. 202 sq.), *ἀπὸ δὲ φυτῶν, ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ* (sequitur frg. 93ª Schneider).

καὶ ἔστιν ὁ αἶνος ἐξηπλωμένη παροιμία μετὰ διηγήσεως ἀπαρτίζουσα τὸ νοούμενον πρὸς παραμυθίαν τε καὶ ὠφέλειαν ἀνθρώπων. παροιμία δὲ τὴν ἀπὸ κεφαλαίου ἐπὶ τὸ χεῖρον ἀναφορὰν ἔχει ἐνδέουσαν τοῦ αἴνου, καὶ τὴν ἔξωθεν ἐνδεχομένη μετάβασιν. οἷον „μένε βοῦς ποτε βοτάνην“ (Apost. XI 11) *καὶ „ἃ κισσὸς μετ' ἀνθεστήρια“* (ibid. II 4).

Quam explicationem Lucillo deberi totam ex Eustathio[5] cognoscimus, qui, quae hic dicuntur, iisdem partim verbis partim sententiis *κατὰ τὸν παλαιόν* exponit atque alteram huius fragmenti partem inde a verbis *καὶ ἔστιν ὁ αἶνος κτλ.* vocula *φησίν* inculcata ipsam illi *παλαιῷ* aperte assignat. Hunc autem *παλαιόν* fuisse *Λούκιλλον τὸν Ταῤῥαῖον* expressis verbis doctissimus ille archiepiscopus alio loco[6] aperit, ubi

---

[1] De Paroemiographis, Diss. Gryph. 1881 p. 26 sqq.

[2] Untersuchungen über die Quellen der Plato-Scholien, Jahrb. f. Philol. Suppl. 13 (1884) p. 836 sqq.

[3] Quaestionum de paroemiographis pars I. Diss. Hal. 1882 p. 21 sqq.

[4] s. v. *αἶνος* (Valck.) p. 6.

[5] ad Od. ξ 508, p. 1769, 5.

[6] ad Il. *Λ* 430, p. 855, 4.

Lucilli definitionem ab Herennio Philone susceptam esse simul discimus, id quod praeterea vel inde satis verisimili ratione concludi potest, quod in Ammonii synonymorum indice, cui Herennii opus retractatum subesse[1] notum est, etiam hodie legitur.

Iam hoc fragmento, quod ex praefatione proverbiorum syllogae sumptum esse apparet, notam quandam Lucilli rationis propriam cognoscimus, dico studium quaestiones suas philosophantis oculis spectatas tractandi, quippe qui non solum *παροιμίας* verum etiam confini *αἴνου* notioni definiendae operam dederit. Ceterum hanc definitionem et electione et constructione verborum simillime ei conformatam esse, quam Stoici de notione *ὅρους* conceperant,[2] primo obtutu planum fit. Imprimis autem id mihi mirum videtur, quod fabulam esse *παροιμίαν ἐξηπλωμένην* paroemiographus censet. Qua enim re commotus, quaesumus, hanc notionem re vera multo latius patentem adeo coartavit? Praeterea veterum saltem proverbiorum plurima apologorum potius residua sunt, quae praecipue eius fabularum generis, in quo bestiae ut homines agentes et loquentes inducuntur, species retinuisse verissime Crusius[3] ostendit. Quae cum ita sint, permulta proverbia vice versa ex fabellis effloruisse Lucillus rectius dixisset.

Sed ut percipiamus, qua re explicatio eius effecta sit, id nobis proponamus necesse est, quantum apologi in rhetorum scholis valuerint,[4] ubi discipuli non solum fabulas *συμπλέκοντες διηγήματι καὶ ἐπεκτείνοντες καὶ συστέλλοντες* teste Theone[5] dicendi artem excolebant, sed etiam novas fabulas ex proverbiis fingebant. Quare et editio Aesopi Augustana, cui corpus fabularum rhetoricum subesse inter omnes constat, innumerabiles paene fabellas ex proverbiis explicitis novatas[6] continet et ipse Babrius[7] permultas fabulas composuit, quibus

---

[1] cf. Christ-Schmid, Griech. Litt.[6] II 2 (1924) p. 1080.

[2] cf. de Arnim, Fragm. Stoicorum veterum II 227.

[3] Verhandlungen der 40. Philologenversammlung Goerlitz (1889) p. 31 sqq.

[4] Hausrath, P. W. VI 2 s. v. Fabel col. 1733.

[5] Rhett. Gr. II p. 74 Sp.

[6] Hausrath l. l. col. 1734.

[7] cf. Crusius, P. W. II 2 s. v. Babrius col. 2663.

proverbiorum argumenta dumtaxat verbosius uberiusque enarrantur. Quae res cum ita se habeat, Lucillum oculis ad has exercitationes rhetoricas solas conversis fabulae notionem tam artis terminis circumscripsisse manifestum est, ex quo hunc nostrum artem quoque rhetoricam exercuisse coniectura colligere haud absurdum videatur. Quae coniectura, quam infra etiam aliis argumentis confirmabo, propterea probabilis mihi videtur, quod quae hic Lucillus exposuit, a rhetoribus sic tradita esse ostendi potest. Nam praeter Diogenianum[1] etiam Theo[2] et Quintilianus, quos praefatione fabularum temporibus imperatorum Romanorum in usum rhetoricae[3] disciplinae collectarum usos esse Crusius[4] demonstravit, cum his plane congruentia protulerunt. Quae Crusii incepta exsecutus Tschajkanowitschius[5] ea quoque, quae Lucillus explicat, in his Archilochi et Hesiodi locos, in illo opere tractata fuisse probavit. Quare huius definitionis Lucillo nihil nisi conceptio debetur.

Quamquam in haec dumeta latius correpere tanti non est, tamen de Lucilli sententia: *παροιμίαν τὴν ἀπὸ κεφαλαίου ἐπὶ τὸ χεῖρον* (id est: in inferius vel triviale) *ἀναφορὰν ἔχειν* pauca verba facere operae pretium videtur esse. Hanc enim explicationem et quae sequuntur verba (*καὶ τὴν ἔξωθεν ἐνδεχομένη μετάβασιν*) non tam in totum proverbiorum genus quam in ea[6] quadrare, quae epilogo quodam ornata sunt, perspicuum

[1] Paroemiogr. Gr. I p. 178 sqq. [2] l. l. p. 73.

[3] Quae ab his explicantur, doctrinam esse rhetoricam ex communi fonte haustam ex hac quoque re cognosci potest: et Diogenianus (p. 178) et Quintilianus (V 11, 21) proverbium *τρόπον καὶ τῆς ἀλληγορίας* esse dicunt. Atque idem iam Philodemus (rhet. I p. 181 Sudh.) in arte oratoria, quae ei praesto fuit, invenit.

[4] De Babrii aetate, Leipziger Studien II (1879) p. 229.

[5] Quaestionum paroemiographicarum capita sel., Diss. Monac. 1908 p. 36 sq.

[6] De Graecis huius generis proverbiis, quibus dictum profertur additurque, quis ita locutus sit, ea mente, ut dictum illud in risum vertatur, egerunt Hauptius (Opusc. II p. 395 sqq.) et Crusius (Analecta critica ad Paroem. Gr. p. 74); de Latinis Otto (Sprichwörter der Römer, 1890, praef. p. 30); de Germanis Thielius (N. Jahrb. f. d. klass. Alt. 21 [1908] p. 388). Exempli causa pono hoc: *„χαῖρε, φίλον φῶς", γραῦς εἶπε θέλουσα ἀκολασταίνειν γυμνή, ἵνα μὴ τὴν ῥάκωσιν τοῦ σώματος ἐλέγξῃ τὸν λύχνον ἀποσβέσασα* (Zenob. VI 42).

est. Etiam Quintilianus, quem ex eodem fonte sua hausisse modo dixi, huiuscemodi tantum proverbia fabulis confinia esse expressis verbis illic exponit proverbiumque (nimirum Latinum) epilogo quodam ornatum exempli causa subicit. Quae cum ita sint, ea quoque, quae in rhetorica illa fabularum collectarum praefatione de proverbio explicata erant, ad huius generis proverbia imprimis spectavisse par est conicere. Hinc ergo Lucillus explicationem suam sumpsit. Quare mirum non est, quod in illa duo proverbia *ἐπὶ τῶν βραδέων* teste Apostolio usurpata, quae exempli causa ab eo afferuntur, Lucilli explicatio aliquo modo, in alia omnino non convenit. Praeterea etiam illud *ἐπὶ τὸ χεῖρον ἀναφοράν* ex termino q. d. rhetorum technico forsitan effictum sit. In numero enim locorum, ex quibus risus peti posset, *ὁμοιώσεις* quoque *χρήσει πρὸς τὸ χεῖρον* („similitudines ad aliquid inferius leviusque relatas“, ut interpretatur Quintilianus VI 3, 57) rhetores habuisse supra (p. 60) vidimus. Itaque cum proverbia quoque in tropis ducerentur eaque, quae epilogo quodam ornata sunt, perquam ridicula sint, illud nomen huc inde translatum esse cogitare licet. Sed utut est, id saltem pro certo affirmaverim, totam hanc de fabula proverbioque disputationem rhetorum doctrina subniti speciemque plane rhetoricam prae se ferre.

Atque alterum Lucilli fragmentum paroemiographicum Platonis[1] scholiasta nobis servavit, qui varias proverbii *Σαρδάνιος γέλως* explanationes ex integriore Zenobii codice sumptas memoriae prodidit. Quod proverbium iam antiquis interpretibus negotium facessebat, qui illa Homeri[2] verba proverbii loco celebrata partim cum voce *σεσηρέναι,* partim cum nomine Sardiniae insulae cohaerere[3] putabant. Atque opinionibus Timaei, Clitarchi, Simonidis scholiasta haec Lucilli verba annexuit:

frg. II: *ἤκουσα δέ, φησιν ὁ Ταῤῥαῖος, ἐγχωρίων λεγόντων, ὅτι ἐν Σαρδόνι γίγνοιτο βοτάνη σελίνῳ παραπλησία, ἧς οἱ γευσάμενοι δοκοῦσι μὲν γελῶντες, σπασμῷ δὲ ἀποθνήσκουσιν.*

---

[1] schol. ad Plat. Reip. I p. 332 H, 396 B.
[2] Od. *υ* 302.
[3] cf. Zenob. V 85.

Sed qui Lucillo morigerans ex verbis eius ἤκουσα ἐγχωρίων λεγόντων idem quod Crusius[1] elicere velit: eum periegetarum ratione in Sardinia sciscitando ipsum de hac herba eiusque vi mortifera cognovisse, maiorem diligentiam ac gravitatem ei tribuat, quam quae in eo fuisse videatur. Verum eum hoc loco rhetorum machinam adhibentem deprehendimus, quam Aristotelem[2] subsecutus Ps.-Aristides[3] in arte rhetorica sic commendat: ἀξιοπιστίας δὲ καὶ ὅσα μὴ ἔχεις ἄλλοθεν συστῆσαι, ἐξ ἀκοῆς ταῦτα πιστοῦσθαι, „ἤκουον δ' ἔγωγέ τινων ὡς . . .“ καὶ πάλιν, „ὡς δ' ἐγὼ τῶν ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ γεγενημένων τινὸς ἤκουον“. Quam rationem nonnullos quoque periegetas et historiographos rhetorum auctoritatem secutos idque tum imprimis adhibuisse Stemplingerus[4] ostendit, cum quae describerent non suis oculis vidissent, sed ab aliorum scriptorum lectione petivissent. Atque idem in hoc Lucilli fragmentum convenit. Namque illam infamem herbam Sardiniam iam multo ante Lucillum cognitam ac descriptam esse, haec Sileni[5] et Sallustii[6] fragmenta ostendunt:

Sileni frg. 9 (F.H.G. III p. 101)	Sallustii frg. hist. II 10 M.
Σειληνὸς δὲ ἐν δ' τῶν περὶ Συρακούσας λάχανον εἶναι παρὰ Σαρδονίοις ἡδὺ σελίνῳ ἐμφερές, οὗ τοὺς γευσαμένους τάς τε σιαγόνας καὶ τὰς σάρκας αὐτῶν ἀποδάκνεσθαι.	In Sardinia enim nascitur quaedam herba, ut Sallustius dicit, apiastri similis. Haec comesa ora hominum rictus dolore contrahit et quasi ridentes interimit, unde vulgo Σαρδόνιος γέλως.

Atque iam Silenum, cum de illa herba ageret, de hoc proverbio cogitavisse verba eius, quae de ridendo silent, inspicientibus parum credibile[7] videtur esse. Sallustius vero vel scriptor ignotus, cuius ex opere ille sua forsitan excerpserit, herbam Sardiniam cum hoc proverbio contexuit, a quibus Lucillum pendere, cum fragmenta et verbis et sen-

[1] Anal. crit. p. 94. [2] rhet. II 23 p. 1398.
[3] I 99: Rhett. Gr. II p. 489 Sp., Aristid. q. f. rhet. ed. Schmid, 1926 p. 39.
[4] Das Plagiat in der griech. Lit. (1912) p. 183 sq.
[5] ap. Photium et Suidam s. v. Σαρδόνιος γέλως.
[6] ap. Servium ad Verg. Buc. Ecl. VII 41.
[7] cf. Pohlenz, Σαρδάνιος γέλως, Berl. philolog. Woch. 1916 col. 951 sq.

tentiis omnino congruant, certum est. Itaque cum ea, quae ab indigenis se audivisse dictitat, Lucillus re vera lectioni debeat, illud *ἤκουσα ἐγχωρίων λεγόντων* nihil nisi locus communis est, qui ad fidem augendam a rhetoribus adhibebatur. Praeterea autem id, quod iam Homerum tam exquisita doctrina ornatum fuisse Lucillus existimavit, ut huius herbae Sardiniae notitiam haberet, silentio praetereundum non est.

Quibus rebus edocti iam animos advertamus ad tertium fragmentum a Stephano Byzantio[1] traditum, quod ad proverbium *Δωδωναῖον χαλκίον* explicandum pertinet. Quod ut explanarent, Polemo et Aristides periegetae teste Stephano exposuerant haec: *ἐν τῇ Δωδώνῃ στῦλοι δύο παράλληλοι καὶ πάρεγγυς ἀλλήλων. Καὶ ἐπὶ μὲν θατέρου χαλκίον ἐστὶν οὐ μέγα, τοῖς δὲ νῦν παραπλήσιον λέβησιν, ἐπὶ δὲ θατέρου παιδάριον ἐν τῇ δεξιᾷ χειρὶ μαστίγιον ἔχον, οὗ κατὰ τὸ δεξιὸν μέρος ὁ τὸ λεβήτιον ἔχων κίων ἕστηκεν. Ὅταν οὖν ἄνεμον συμβῇ πνεῖν, τοὺς τῆς μάστιγος ἱμάντας χαλκοῦς ὄντας ὁμοίως τοῖς ἀληθινοῖς ἱμᾶσιν αἰωρουμένους ὑπὸ τοῦ πνεύματος συνέβαινε ψαύειν τοῦ χαλκίου καὶ τοῦτο ἀδιαλείπτως ποιεῖν, ἕως ἂν ὁ ἄνεμος διαμένῃ.* Quibus periegetarum verbis hoc ex Lucilli opere excerptum assuit:

frg. III: *καὶ κατὰ μέντοι τοὺς ἡμετέρους ⟨χρόνους⟩, φησὶν ὁ Ταῤῥαῖος, ἡ μὲν λαβὴ τῆς μάστιγος ⟨διασέσωσται⟩, οἱ δὲ ἱμάντες ἀποπεπτώκασιν. Παρὰ μέντοι τῶν ἐπιχωρίων τινὸς ἠκούσαμεν ὡς, ἐπείπερ ἐτύπτετο μὲν ⟨τὸ χαλκίον⟩ ὑπὸ μάστιγος, ἤχει δ' ἐπὶ πολὺν χρόνον, ὡς χειμερίου τῆς Δωδώνης ὑπαρχούσης, εἰκότως εἰς παροιμίαν περιεγένετο.*

Qua re conficitur, primum ut Lucillus periegetarum explicationem probaverit probatamque in rem suam converterit; alterum ut ex Lucilli verbis *παρὰ τῶν ἐγχωρίων τινὸς ἠκούσαμεν* eum id, de quo agit, coram vidisse concludendum non sit. Nam cum id, quod ab indigenis se comperisse Lucillus simulat, a periegetis quoque narretur, eum cum cetera tum hanc rem illis debere planum est. Praeterea Strabo[2] illud oraculum tum iam pridem dilapsum fuisse expressis verbis testatur. Dodonam denique *χειμέριον* esse Lucillum fortasse

[1] s. v. *Δωδώνη*. [2] Strab. VII p. 327 et 329 frg. 3.

Homeri versus *Π* 233 sq. docuerant, a quibus profectos veteres ea, quae de Dodona confabulati essent, indagavisse Meyerus[1] ostendit. Quare tantum abest, ut rei diligenter cognoscendae causa Lucillum tantam peregrinationem suscepisse credam, ut locum illum communem, quem supra de fragmento II. verba faciens commemoravi, hic iterum ab eo adhiberi persuasum habeam. Quod artificium quantumvis arriserit rhetoribus, quibus inde a Gorgiae temporibus ars sua concesserat, ut ait Cicero,[2] ementiri in historiis, ut aliquid dicere possent argutius, tamen ab Aristarchi natura rationeque severa tantopere, hercle, abhorrebat, ut ei, qui sectator eius haberi studeret, ad istam descendere non liceret.

Quartum denique Lucilli fragmentum paroemiographicum codex Paris. suppl. Gr. 676 a Cohnio[3] publici iuris factus exhibet, qui ex vetustiore et praestantiore Zenobii exemplo quam ceteri classis B codices descriptus esse videtur. Ubi ad explanandum proverbium *ἄρτι μῦς πίττης γεύεται,* quod in *μῦς ἐν πίσσῃ*[4] quoque decurtatum circumferebatur, exponuntur haec:

frg. IV: *μέμνηται Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ τριηραρχήματος. Ἔστιν οὖν παροιμία τις, περὶ ἧς λέγει καὶ Λούκιλλος*[5] *Ταῤῥαῖος: Μῦς ὄνομά ἐστιν. Ταραντῖνος πύκτης, ὃς τὴν ιδ' ἐπὶ τῆς ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος ἐνίκησε πολλὰς πληγὰς λαβὼν ὑπὸ τῶν ἀνταγωνιστῶν. Διηγούμενος δέ τις τὰ περὶ αὐτὸν ἔλεγεν, ὅσα ἔπαθεν ὁ Μῦς ἐν τῇ Πίσσῃ.*[6] — *οἱ δέ φασιν τὸ ζῷον ἐμπεσὸν εἰς πίσσαν δεινὰ πάσχειν καὶ τέλος ἀποθνήσκειν ἀνελθεῖν μὴ δυνάμενον.*

Atque hoc quoque fragmento, qua ratione Lucillus ad proverbia explicanda progressus sit, cognoscendi nobis copia datur. Nam hoc proverbium re vera ad murem in pice

[1] Forschungen zur alten Geschichte I (1892) p. 50.

[2] Brut. 42, cf. iam Isocratis Panathen. § 172.

[3] Zu den Parömiographen, Breslauer philol. Abh. II 2 (1887) p. 69.

[4] Zenob. V 46.

[5] Codex habet *λέγει Καλυδώνιος Ταῤῥαῖος,* quod ex *καὶ Λούκιλλος Ταῤῥαῖος* corruptum esse Cohnius recte vidit.

[6] Nomen urbis *Πίσσαν* quoque scriptum fuisse ex anonymi vita Isocratis (cf. Westermann, *Βιόγραφοι,* 1845 p. 258, 150 et 259, 162 = Dindorf, Schol. Graeca in Aeschinem et Isocratem, 1852 p. 106, 5 et 16:

haerescentem pertinere ex illo μῦς ἐν ἅλμῃ ipso quoque proverbialiter dicto[1] apparet. Sed qui id in Murem pugilem, qui multis plagis Pisae acceptis aegerrime palma potitus erat, scitius quam verius traxit, eum ab Herondae[2] versibus πέπονθα πρὸς Θάλητος, ὅσσα καὶ πίσσῃ μῦς· πὺξ ἐπλήγην κτλ. profectum atque imprimis verba πὺξ ἐπλήγην perperam interpretatum in errorem hunc inductum esse Meisterus[3] ostendit. Hunc igitur interpretem fuisse Lucillum Tarrhaeum codex Paris. testatur. Cui explicationi ut fidem faciat, Lucillus etiam singula de pugilis persona: ubi natus sit, quando et quomodo illa pugna caestu commissa sit, adicit, quae ex tabulis Olympionicorum pervolutatis investigata esse haud ita incredibile[4] est. Quamquam qui in iis, quae superiora fragmenta declaraverunt, expertus paroemiographum, ut verbis suis speciem maioris auctoritatis imponeret, hoc quoque loco ad mendaciuncula decurrisse contendere velit, eum malitiae non arguam. Sed utut est, Lucilli proverbiorum explicandorum ratio quanti aestimanda sit planius etiam cognoscetur, cum ieiunam quidem sed veriorem explanationem a Didymo, ut videtur, factam, quam Zenobius Lucilli verbis agglutinavit, cum his comparaverimus. Namque ut in frgg. II et III, ita hoc quoque loco Lucillus explicationem ἀφ' ἱστορίας repetitam affert fide non digniorem, quam quae antea Demo, Aristides, Mnaseas aliique fabulatores congesserant; Didymus vero, ut Crusii[5] verba mea faciam, sobriore iudicio usus, ubi commode fieri potest, simplicioribus rationibus ad communem rerum naturam spectantibus proverbiorum explicationes expedire solet.

Πίσσα in cod. Laur. 58.[6] = N, *Πίσα* in cod. Paris. 2932 = *Π*) et Ps.-Theodosio (*περὶ γραμματικῆς* p. 69, 30 Goettl.) eaque re cognoscimus, quod Eustathius (ad Dionys. 409) nomen simplici σ scribendum esse expressis verbis dicit. Eustathius autem hoc loco ab Herodiano (Herod. techn. rell. I p. 266, 19) pendet, qui id eidem canoni ac vocem *κνίσην* inserit, quam Aristarchum (ad B 423) secutus simplici σ scribendam esse graviter monet.

[1] Eustath. ad Od. ρ 455, p. 1828, 17. [2] Pornobosc. 62.

[3] Abhandl. d. sächs. Gesellschaft der Wissenschaften 13 (1893) p. 686; similiter Kaibel, Herm. 28 (1893) p. 56.

[4] Has ipsas res in Olympionicorum tabulis breviter expositas fuisse Juethnerus (Philostratus über Gymnastik p. 60 sqq.) commemorat.

[5] Anal. crit. p. 51.

Reliquum est, ut summam eorum, quae huc usque erui, paucis comprehendam. Floruit igitur Lucillus Tarrhaeus ante Herennium Philonem, qui teste Suida[1] *γέγονεν ἐπὶ τῶν χρόνων τῶν ἐγγὺς Νέρωνος καὶ παρέτεινεν εἰς μακρόν*. Atque sylloga eius, quae, cum Didymi opus tredecim libros complecteretur, tribus libris absoluta erat, forsitan usitatissima tantum proverbia aut praeter cetera notabilia habuerit, quae, id quod fragmenta docent, admirationem aequalium potius captans quam veri investigandi studiosus explanavisse videtur. Eadem autem mens ratioque mere rhetorica, quam eiusmodi studium prae se fert, compluries in fragmentis apparet, cum non solum ea, quae exponuntur, in doctrina arteque rhetorica penitus haereant, verum etiam paroemiographus, ut explicationibus suis fidem augeat, rhetorum artificium ab homine expletae rerum comprehensionis studioso abhorrens bis adhibere non vereatur. Quare Lucillum rhetoricam artem factitavisse syllogamque suam in oratorum usum composuisse mihi persuasum est, quos iam Aristoteles,[2] ut orationibus suis frequenter *γνώμας* et inter eas etiam proverbia insererent, hortatus est. Praeterea paroemiographos id praecipue agentes, ut proverbia locis imprimis poetarum undique congregatis illustrarent atque explicarent, potissimum comicos excussisse in Zenobii opere sescenties cognosci potest. Quod Lucillum quoque fecisse frg. IV quam apertissime ostentavit. Gratissimum denique aequalibus Lucilli opus fuisse ex ea re, quod Stephanus Byzantius id summa laude dignum iudicavit, concludi potest.

§ 2.

De fragmentis historicis et geographicis.

Apud Stephanum Byzantium, cuius opus per multa volumina primitus dispertitum epitoma circumscriptum ad nos pervenit, ubi de oppidis quibusdam Macedoniae agitur, Lucilli Tarrhaei testimonia tria proferuntur. Quae admodum inter se similia ad ea, quae ceteris Lucilli libris tractata erant, adeo

[1] s. v. *Φίλων* a. [2] Rhet. II 21 p. 1395 a 20.

non pertinent, ut separatim ab reliquis ea excutere e re esse videatur. Sunt autem haec:

1. Steph. Byz. s. v. *Θεσσαλονίκη*.

Θεσσαλονίκη πόλις Μακεδονίας, ἥτις ἄρα ἐκαλεῖτο Ἁλία, Κασάνδρου κτίσμα . . . desunt quaedam[1] . . . *ἢ ὅτι Φίλιππος τοῦ Ἀμύντου ἐκεῖ Θετταλοὺς νικήσας οὕτως ἐκάλεσε.*

frg. V: *Λούκι⟨λλ⟩ος δὲ ὁ Ταῤῥαῖος περὶ Θεσσαλονίκης βιβλίον ἔγραψεν, ὅς φησιν ὅτι Φίλιππος θεασάμενος κόρην εὐπρεπῆ καὶ εὐγενῆ — Ἰάσονος γὰρ ἦν ἀδελφιδῆ — ἔγημε. καὶ τεκοῦσα τῇ εἰκοστῇ ἡμέρᾳ τῆς λοχείας τέθνηκεν. Ἀναλαβὼν οὖν ὁ Φίλιππος τὸ παιδίον ἔδωκε Νίκῃ τρέφειν καὶ ἐκάλεσε Θεσσαλονίκην. ⟨Καὶ γὰρ ἡ⟩*[2]*μήτηρ τοῦ παιδίου Νικασίπολις ἐκέκλητο.*

A Thessalonice ergo, quam Philippus ex Nicasipolide, Iasonis tyranni Pheraei consobrina, genuerat, urbem denominatam esse Lucillus autumavisse videtur. Atque filiolae nomen Philippum ipsum idque ita composuisse censet, ut altera eius parte et nomen nutricis, cui puerpera mortua filia educanda tradita esset, et nomen uxoris Nicasipolidis significaretur. Priore autem nominis Thessalonicae parte Philippum patriam earum celebrare voluisse Lucillus videtur opinari.

Atque ita hanc rem Lucillum animo concepisse haud scio an alia quoque ratione probari possit. Inter eos enim scriptores, quos ille de hac re consulere poterat, praeter Theopompum imprimis Satyrus est, quem et aliorum virorum illustrium et Philippi vitam copiose exposuisse notum est. Cuius operis fragmentum ad nos[3] pervenit, quod forte fortuna in iis versatur, quae de Philippi et Nicasipolidis societate coniugali memoriae prodita sunt: *οἰκειώσασθαι δὲ θέλων καὶ τὸ Θετταλὸν γένος ἐπαιδοποιήσατο ἐκ δύο Θετταλίδων γυναικῶν, ὧν ἡ μὲν ἦν Φεραία Νικησίπολις, ἥτις αὐτῷ ἐγέννησε Θετταλονίκην.* Quoniam igitur Philippum eo consilio, ut Thessalorum animos sibi conciliaret, Iasoni cognatam uxorem

[1] Quae post *κτίσμα* exciderint, ex Strab. VII p. 330 frg. 24 cognoscitur: *Θεσσαλονίκη . . . κτίσμα ἐστὶ Κασάνδρου, ὃς ἐπὶ τῷ ὀνόματι τῆς ἑαυτοῦ γυναικός, παιδὸς δὲ Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου, ὠνόμασεν.*

[2] Ita pro *ἡ γὰρ μήτηρ κτλ.* scribendum esse Drerupius me monuit.

[3] apud Athen. XIII p. 557 C: F. H. G. III 161.

duxisse inter posteros constabat, uxore mortua regem, ut ad huius consilii effectum alia ratione perveniret, Thessalorum quoque nomen filiolae indidisse Lucillus coniecisse videtur. Quae nominis explicatio, quamquam illam Nicen quoque aliunde nobis non notam Lucillum in fontibus suis invenisse sumi potest, tamen studium novi aliquid dicendi manifestius prae se fert, quam ut quae probetur digna videri possit.

Atque alterum huius loci fragmentum ipsum in oppidum Macedoniae spectat:

2. Steph. Byz. s. v. *Κάλαρνα*.

frg. VI: *Κάλαρνα πόλις Μακεδονίας, ὡς Λούκι⟨λλ⟩ος ὁ Ταῤῥαῖος. τὸ ἐθνικὸν Καλαρναῖος.*

Quod oppidum fuisse castellum, cuius propugnacula Iustinianus renovaverit, Procopius[1] testatur. Atque idem ex Pomponio Mela[2] scimus, qui id „Turrim Calarnaeam" nominet. Idem Calarnam „inter Strymona et Athon" sitam fuisse docet.

Tertium denique fragmentum ipsum quoque in oppidum Macedoniae pertinet:

3. Steph. Byz. s. v. *Μίεζα*.

frg. VII: *Μίεζα, πόλις Μακεδονίας, ἣ Στρυμόνιον ἐκαλεῖτο, ἀπὸ Μιέζης, θυγατρὸς Βέρητος τοῦ Μακεδόνος, ὡς Θεαγένης ἐν Μακεδονικοῖς. Βέρης γὰρ τρεῖς ἐγέννησε, Μίεζαν, Βέροιαν, Ὄλγανον. Ἀφ' οὗ ποταμὸς ἐπώνυμος καὶ πόλις Βέροια καὶ τόπος Στρυμόνιος. τὸ ἐθνικὸν Μιεζεὺς καὶ Μιεζαῖος. οὕτως γὰρ χρηματίζει Νικάνωρ, καθὰ Λούκι⟨λλ⟩ος.*

Atque Mieza teste Plinio[3] in interiore Macedonia inter Berrhoeam et Aegas (Edessam) sita erat. Maioris autem momenti id est, quod Lucillum Nicanoris cuiusdam librum adiisse hic traditur, qua re post quem terminum vixerit planum fiat. Atque Lucilli fontem fuisse Nicanoris librum, qui *Μετονομασίαι* inscribebatur, ex verbis *ἣ Στρυμόνιον ἐκαλεῖτο* apparet. Qui vero Dittenbergerum[4] secutus hunc Nicanorem eundem esse censeat atque illum Hermiae filium, qui cogno-

[1] de aedif. IV 14 (p. 118, 51) Haury. [2] de chorogr. II 30 Fr.
[3] N. H. IV 10, 17; cf. Kiepert, Atlas antiquus Tab. VI.
[4] Athenaeus und sein Werk, Apophoreton der Graeca Halensis, Berl. 1903 p. 10.

mine Stigmatias appellabatur, ei Lucillum non ante exitum alterius p. Chr. n. saeculi floruisse putandum est. Nam illum librum si Stigmatias scripsisset, fieri non potuisse, ut ante annum 161 p. Chr. n. componeretur Wackernagelius[1] ostendit. Quoniam autem Lucillum iam ante Herennium Philonem fuisse supra vidimus, Nicanorem, qui opus de mutatis nominibus confecit, ab illo Stigmatia plane seiungendum esse[2] atque aetate multo superiorem fuisse elucet.

Quam rem ita se habere aliis quoque argumentis confirmari potest. Nam praeterquam quod Suidas[3] hoc opus, quamquam luculentum amplumque fuisse videtur, inter libros a Stigmatia conscriptos non commemorat, Athenaeus[4] illum Nicanorem, qui eius auctor fuit, Cyrenaeum fuisse dicit, cum Stigmatiam Alexandrinum fuisse notum sit. Nec duobus illis Stephani locis, quibus nititur Dittenbergeri argumentatio, quicquam inest, ex quo eos e Nicanoris libro, qui de mutatis nominibus erat, sumptos esse colligendum sit. Sed altero[5] Stephanus nihil nisi formulam rationemque nominis scribendi intuens Nicanorem, Hermiae filium, *Ἄθριβίν* non *Ἄθλιβίν* idque *ἐν τῇ πρὸς Ἀδριανὸν γράφει*[6] scripsisse dicit. Alter autem locus[7] hic est: *Τίβυρις, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Τιβυρτῖνος. Νικάνωρ δ' ὁ Ἑρμείου Τίβουρα ταύτην καλεῖ, καὶ τὸ ἐθνικὸν Τιβουρῖνον, ὃ καὶ ἀναλογώτερον· ἐν τῇ Τιβουρῖνον τέμενος. αὕτη Πολυστέφανος ὠνομάζετο πρότερον.* Atque hoc quoque

[1] Nikanor und Herodian, Rh. Mus. 31 (1876) p. 439.

[2] cf. Rohde, Kleine Schriften I p. 366, 2.

[3] s. v. *Νικάνωρ*.

[4] Athen. VII p. 296 D.

[5] Steph. Byz. s. v. *Ἄθλιβίς*.

[6] Et hic et aliis locis (cf. frg. VII) Stephanus, unde sua sumpserit, diligentissime designat; ubicumque igitur in nostris exemplaribus utpote misere mutilatis stipes ab utroque Nicanore collatae difficiles sunt ad discernendum, in integro opere non fuisse apparet. Atque ipsos duos Nicanores accuratissime distinctos esse inde cognoscitur, quod in duobus illis fragmentis (s. v. v. *Ἄθλιβίς* et *Τίβυρις*) Alexandrini patris nomen, ut a Cyrenaeo distingueretur, adiectum est. Atque ea, quae Nicanoris Cyrenaei sunt, fragmenta etiam in nostris Stephani exemplaribus eo insignia sunt, ut aut „*ἐν Μετονομασίαις*" a Nicanore ita scriptum esse dicatur (cf. s. v. v. *Πάρος, Ὕδη*), aut quod nomen eodem teste oppidum quoddam antea habuerit commemoretur (cf. s. v. v. *Δῆλος, Διοσκουριάς, Ὀλυμπία, Παῤῥασία, Τάναϊς*).

[7] s. v. *Τίβυρις*.

Stigmatiae fragmentum ad nihil nisi nominis oppidi ethnicique formam pertinet, quae qua ratione scribenda esset, maximam inter veteres dissensionem fuisse constat.[1] Eiusmodi autem quaestiunculas illi cordi fuisse ex iis quoque apparet, quae ex libro, quem Stigmatias de Alexandria conscripsit, excerpta Stephanus[2] affert. Quare quae inde a verbis *ὃ καὶ ἀναλογώτερον* leguntur, Stephani esse patet, qui formas *Τίβουρ— Τιβουρῖνος*, quod analogiam accuratius sequantur, formis *Τίβυρις — Τιβυρτῖνος* quamquam usitatissimis se ipsum quoque anteponere dicit. Quod vero continuo verba *αὕτη Πολυστέφανος ὠνομάζετο πρότερον* sequuntur, haec res nullam vim auctoritatemve habet. Nam cum Praenesti,[3] non Tiburi hoc nomen antea fuisse traditum sit, haec verba cum iis, quae antecedunt, adeo non coniungenda esse videntur, ut epitomatoris errore ea in hoc rerum contextu posita esse arbitrer. Quae cum ita sint, ne hoc quidem Stigmatiae fragmentum, quoniam libri *περὶ μετονομασιῶν* scripti vestigia non habet, Nicanorem, Hermiae filium, huius operis auctorem fuisse argumento esse potest.

Haec Stigmatiae fragmenta qui ante Dittenbergerum iam tractavit Muellerus,[4] quamquam persuadendi necessitatem ea non habere perspexit, tamen, quod in *Μετονομασίαις* iam oppidi Sebastopolis mentionem factam esse ex alio fragmento a Stephano Byz.[5] allato appareret, illum librum ipse quoque Stigmatiae tribuit. Sed hoc ipsum nomen ansam nobis dabit ad eruendum, post quem terminum Nicanor Cyrenaeus fuerit; nam illi oppido non ab Hadriano, id quod Muellerus videtur opinatus esse, sed ab Augusto nomen datum esse titulus Coptitanus[6] Augusto principe, ut demonstravit Mommsenus, exaratus declarat, in quo inter milites exercitus Aegyptiaci, qui opus quoddam fecerunt, L. Licinius quidam Sebastopolitanus commemoratur. Sequitur, ut huius Nicanoris aetas ante Augustum fuisse non possit.

---

[1] cf. Stephani Thes. L. Gr. s. v.; Varro, de L. L. VIII 53 et IX 34; Serv. ad Verg. Aen. IX 358.

[2] Steph. Byz. s. v. *Ἀλεξάνδρεια*.

[3] Strab. V p. 238.

[4] F. H. G. III p. 632.

[5] s. v. *Διοσκουριάς*.

[6] C. I. L. III 1 n. 6627, 7.

Iam paucis comprehendamus, quae praeter hanc rem fragmenta nos doceant id maxime spectantes, ex quo Lucilli opere Stephanus ea sumpserit. Nam quominus Susemihlio[1] fidem habeamus censenti in commentario in Apollonium Rhodium composito illum de his Macedoniae oppidis egisse vel eo impedimur, quod quibusnam huius poematis locis de iis disputandi occasio ei data fuerit dispici nequit. Nemo enim Argonautarum aliorumve hominum ab Apollonio commemoratorum cum his Macedoniae oppidis ulla ratione coniunctus erat, nedum heroes illa oppida, quorum duo in interiore Macedonia sita erant, in itinere adirent. Accedit, quod Thessalonice Casandro demum regnante ita condita est, ut Therma cum viginti sex, qui circa erant, viculis in magnam urbem copularetur,[2] id quod veteres non ignoravisse ex Dionysio Halic.[3] intellegimus. Praeterea Calarna quoque, oppidum operibus munitum, a regibus Macedoniae, quibus erant militaribus animis, aedificata esse videtur. Ea denique, quae de Thessalonica urbe Lucillus scripserat, totum librum complebant, quem non partem commentarii, sed opus peculiare fuisse Stephani verbis *Λούκιλλος δὲ ὁ Ταῤῥαῖος περὶ Θεσσαλονίκης βιβλίον ἔγραψεν, ὅς φησιν κτλ.* (frg. V) planum fit. Quoniam autem haec tria fragmenta omnia de Macedoniae oppidis sunt, ea fortasse ex libris geographicis de Macedonia conscriptis superesse poni potest, quibus Lucillus de historia quoque eorum plus minus copiose egerit, nisi forte Stephanus, quae de Mieza et Calarna affert, ipsa quoque in libro de Thessalonica scripto invenit. Quae cum ita sint, Muellerus[4] Lucillum in numerum historicorum Graecorum suo iure ascivit.

§ 3.

De Lucilli commentario in Apollonium Rhodium composito.

Summam scholiorum copiam, quibus Apollonii Rhodii carmen explanatur, Sophocles quidam commentariis Theonis

---

[1] l. l. I p. 390.
[2] cf. Niese, Geschichte der griech. und maked. Staaten I p. 257.
[3] archaeol. I 49. [4] F. H. G. IV p. 440.

et Lucilli usus altero p. Chr. n. saeculo composuit.[1] Sed cum Irenaeo quoque adhibito Sophoclis opus postea auctum sit multis, quae ex Herodiano et onomasticis deprompta sunt,[2] nescimus an fieri non possit, ut iis adiumentis, quae his temporibus exstant, definiamus, quem ad modum haec scholia pertineant ad Lucillum. Itaque cum, quam rationem Lucillus in commentario componendo secutus sit, demonstrare conabimur, ea solum verba, quae illius nomine instructa sunt, afferemus.

1. schol. Ap. Rhod. I 1083.

Lucillus ad glossam ἁδινὸς interpretandam adhibetur:

frg. VIII: *ἁδινὰ κνώσσοντας] ἐφύλαττον μεγάλως καὶ βαθέως ὑπνοῦντας, ὁ δὲ Ταῤῥαῖος λεπτὰ κοιμωμένους καὶ οὐ κατὰ βάθος.*

Atque nobis non minus quam antiquis grammaticis obscurum est, quid nomen *ἁδινὸς,* quo iam Homerus semel et vicies utitur, significet et unde ortum sit. In scholiis autem ad Homerum scriptis duae interpretandi rationes nobis occurrunt. Alteri[3] enim nomen *ἁδινός* ducunt de voce *ἅδην, ὅπερ ἔστιν ἀθρόως.*[4] Quam derivationem et circumlocutionem Aristarchi esse scholiasta T, qui de Il. X 430 commentatus est, testatur. Quod praeter hoc testimonium cognoscere possumus ex Apollonio Sophista,[5] qui Aristarchi sententiam, ut facere consuerat, secutus „ex septem, quas in eo vocabulo disposuit locutionibus, minimum quattuor per *ἀθρόως* explicat".[6] Tum Apionem quoque vocem *ἁδινός* indidem ductam putavisse et spiritu aspero exornavisse Eustathius[7] tradit, *ὡς τοῦ ἅδην δασυνομένου παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς.* Quis autem est, quin in hac probandi ratione Aristarchum, qui Homerum Atheniensem

---

[1] cf. subscriptionem codicis Laurentiani *παράκειται τα σχόλια ἐκ τῶν Λουκίλλου Ταῤῥαίου καὶ Σοφοκλέους καὶ Θέωνος,* cf. schol. Arg. I 1039.

[2] cf. v. Wilamowitz, Einleitung in die griech. Tragödie p. 188 ann. 131.

[3] schol. A*BT ad Il. *B* 87; schol. BT ad B 469; *Π* 481; *Σ* 316; *T* 314; *Ω* 123; schol. T ad *X* 430; schol. B ad Od. *δ* 721.

[4] Apoll. Soph. s. v. *ἁδινός* p. 8, 33.

[5] ibid. p. 8, 30—9, 2; et 9, 4—9, 12.

[6] Merkel, Prolegg. p. 171.

[7] ad Il. *B* 87, p. 178, 24.

fuisse volebat,[1] agnoscat? Postremum Herodianus[2] notas canonis tradit, in quo Aristarchei analogiam secuti hoc nomen una cum voce ἅδην collocaverunt. Quae cum ita sint, dubium non est, quin nomine ἁδινὸς substantivis aut verbis adiecto Homerum ea, quae agerentur, graviter et intente agi exprimere voluisse Aristarchus docuerit.

Ad hanc nominis ἁδινός circumlocutionem proxime accedunt duae aliae, quae — fortasse a grammaticis, qui non ab Aristarcho erant — non ex etymo repertae, sed aliis considerationibus excogitatae sunt. Nam hoc nomen, cum iuxta κῆρ legitur, nonnumquam nomine πυκνός, quoniam πυκνὴ καρδία καὶ νευρώδης κατὰ τὴν οὐσίαν,[3] aut iuxta vocem γόος nomine οἰκτρὸς κατ' Αἰτωλούς[4] explicatum invenimus. Ceterum qui hanc explicandi viam iniit, eum de alio etymo atque Aristarchum cogitavisse, si modo de eiusmodi rebus cogitavit, necesse non est; namque summum plangorem lamentationemque maximam exprimit. Idem sensit ille commentator,[5] qui ex Aristarchi schola, ut videtur, profectus circumlocutione οἰκτρός una cum Aristarchi circuitione allata alteram ad alteram accommodare studet his verbis: ἁδινοῦ] ἀθρόου, οἰκτροῦ. δεῖ γὰρ ἐν τοῖς θρήνοις προιέναι μὲν ἀθρόον τὸ πνεῦμα, μὴ δυνάμενον δὲ φέρειν ὑπεκλύεσθαι.

---

[1] Vit. Hom. II 2, 5. [2] cf. Lentz, Herod. techn. rell. I p. 539, 16.

[3] schol. BT ad Il. *Π* 481, cf. schol. EQV ad Od. α 92, E ad δ 320.

[4] schol. BT ad Il. *Χ* 430. Haec verba κατ' Αἰτωλούς, quae, quantum videmus, hoc solum scholiorum loco inveniuntur, explicari possunt ex illo Iliadis commentario supra (p. 73) commemorato, quod charta papyracea nobis servatum est (Pap. Oxyrh. VIII [1911] p. 105, 63). Ubi sub finem legitur: ταναήκεϊ χαλκῷ] Μῆνις δὲ: ἢ ὀξεῖ ὡς Αἰτωλοὶ ἢ ὀξυθήκτῳ ὡς Λοκροί. Quo planum fit ut Homericum illud ταναήκης ita vocem ἁδινὸς apud Aetolos in usu mansisse et vim nominis οἰκτρός habuisse. Quod minime incredibile nobis videbitur, cum reminiscemur, quam miris significationibus subiectis apud varias Graecorum gentes vox Homerica βλωθρός scholiastis ABT ad Il. *Ν* 390 testantibus viguerit. Huiusmodi autem scholiastarum animadversiones in ἐθνικὰς λέξεις, quae dicuntur, referuntur, quales Zenodotus, Cratetis discipulus, collegit, cuius ex collectione fragmentum illud (a Bekkero, A. G. III p. 1095 sqq. editum) esse sumptum Schmidtius (K. Z. 9 [1860] p. 297) docet. Idem vir doctus ἐθνικὰς λέξεις, quae vocantur, interpretandi causa adhibere, quoniam Aristarchi rationi Homericas glossas ex Homero ipso interpretandi plane repugnaret, ab Aristarcho prorsus alienum fuisse optimo iure affirmavit.

[5] schol. BT ad Il. *Ψ* 17.

At alteri, qui nomen *ἀδινός* vocibus *λεπτός, ἀσθενής, ἠρέμα* interpretantur, praebent circuitiones, quas, cum prioribus plane oppositae sint, ex alia nominis originatione manasse certum est. Hae igitur circumlocutiones, quae in Homeri scholiis prae prioribus raro occurrunt, iuxta nomina *μυῖα*[1] et *μῆλα*[2] inveniuntur, ubi adicitur: *λεπτὰ πρὸς σύγκρισιν τῶν βοῶν;* praeterea semel iuxta vocem *γόος*,[3] ubi additur: *ἀδινοῦ γοοῖο] λεπτοῦ καὶ ἀσθενοῦς, ὡς διὰ τὸ μὴ δύνασθαι μεῖζον λέγειν. τοιοῦτον γὰρ τὸ φθέγμα τοῦ λυπουμένου.* Qui commentatores unde nomen *ἀδινός* derivaverint, ignotum est, nisi forte ex ea re, quod primam litteram spiritu leni exornaverunt, id alpha privativum, quod dicitur, ab iis habitum esse concludendum est. Quod autem argumentis extrinsecus assumptis suam nominis interpretationem confirmare student, sibi conscios se fuisse ostendunt obluctari grammatici nobilis auctoritati.

Quibus rebus perquisitis iam eo redeamus, unde profecti sumus. In Apollonii igitur scholio, de quo agimus, Lucillus Aristarchi circumlocutione repudiata nomen *ἁδινός* voce *λεπτός* interpretatur. Quod ut faceret, verborum conexu, qui contrariam potius interpretationem commendaverit, commotus esse nequit. Quare facere non possumus, quin in nomine *ἁδινός* enodando Lucillum simultate cum Aristarcho ductum esse iudicemus.

2. Ad versum II 77 in scholiis duae inveniuntur circuitiones, quarum altera tantum ad eam lectionem pertinet, quam codd. Guelf. et Laur. praebent: *ἢ κάρτος ἀάατος, ἤ τε χερείων.* In cod. Laur. prima manus super verba *ἤ τε χερείων* superscripsit: *καὶ ἀρείων,* quam in lectionem prior circuitio quadrat. Cum autem forma *ἀρείων* nullo alio loco carminis legatur, in hunc versum referenda sunt verba Etymologici Magni:[4]

frg. IX: *ἀρείων ὁ βελτίων. Ὅμηρος*[5] *„πατρὸς πολὺ χείρονος υἱὸς ἀρείων". εἴρηται δὲ παρὰ τὸ Ἄρης, ἵν' ᾖ κυρίως ὁ κατὰ πόλεμον καλλίων. οὕτως Ταῤῥαῖος ἐν Ἀργοναυτικοῖς.*

---

[1] schol. T ad Il. *B* 469.

[2] schol. EQV ad Od. *α* 92 et schol. E ad *δ* 320.

[3] schol. B(T) ad Il. *Σ* 316.

[4] Etym. Flor. s. v. *ἀρείων* p. 41.

[5] Hom. Il. *O* 641.

Ex quo efficitur Lucillum lectionem ἢ καὶ ἀρείων nescio quibus causis commotum habuisse potiorem.

Sed maioris momenti ad ea, quae eruenda mihi proposui, ille versus Homeri est, quem Lucillus in hoc fragmento affert. Nam et omnes, qui exstant, codices et Plutarchus,[1] qui hunc versum laudat, eandem praebent lectionem: τοῦ γένετ' ἐκ πατρὸς πολὺ χείρονος υἱὸς ἀμείνων. Neque in scholiis quidem usquam neque alibi lectionis υἱὸς ἀρείων, quam Lucillus ad opinionem suam illustrandam exhibet, mentio fit. Qua ex re vel is, qui Wilamowitzii[2] sententiam nos Homeri carmina, qualia ab Aristarcheo quodam ad criticam artem correcta et edita sunt, tenere censentis non tota re probandam iudicat, hanc lectionem aut Aristarcho notam non fuisse aut ab eo omnino respectam non esse meo iure me colligere certe concedat. Hanc autem lectionem non commenticiam, sed ex aliqua Homeri editione sumptam esse propterea ponendum est, quod grammaticus eam affert idque eo consilio, ut circumlocutionem suam verbi ἀρείων probet. Quae cum ita sint, idem quod apud auctorem commentarii illius papyracei, de quo supra (p. 73) breviter egi, apud Lucillum quoque invenimus: auctoritatem Homeri adhibentem eum lectionem afferre, quam Aristarchus reiecerat aut neglexerat.

Ad haec igitur duo fragmenta, quae ad verba interpretanda pertinent, accedunt tria, quibus res explanantur.

3. schol. Ap. Rhod. I 187.

Ἰμβρασίης] τὴν Σάμον φησίν. Ἴμβρασος γὰρ ποταμὸς Σάμου, ὃς μετεκλήθη Παρθένιος διὰ τὸ ἐκεῖ παρθένον οὖσαν τετράφθαι Ἥραν. Καὶ Καλλίμαχος μέμνηται.

frg. X: *Ὁ δὲ Ταῤῥαῖος οὕτως: Παρθενία δὲ ἡ Σάμος ἀπὸ Παρθενίας τῆς Σάμου γυναικὸς ὠνομάσθη.*

Videmus igitur hoc loco id agi, ut Samus insula qua ex re cognomen Partheniae traxerit, explicetur. Quod cognomen plurimi[3] revocare solebant ad id, quod Iuno ad flumen Imbrasum nata primam aetatem ibi degisse dicebatur. Quare

---

[1] de sera num. vind. 7 p. 553 b. [2] Die Ilias u. Homer p. 8.

[3] cf. Callim. hymn. 4, 49; Varro apud Lactant. I 17, 8; Steph. Byz. s. v. Σάμος; schol. Dion. Perieg. 534; Strab. X p. 457 et XIV p. 637.

ei teste Menodoto[1] Samii diem festum, cui nomen Tonea erat, quotannis agebant, cuius caerimoniae Iunonem Iovi desponsam in conspectum dabant. Etiam aetate Pausaniae periegetae[2] in magnificentissimo templo, quod Iunoni ibi aedificatum erat, priscum deae signum veterrimamque salicem, sub qua dicebatur nata[3] esse, advenae admirabantur. Itaque mirum non est, quod haec cognominis explicatio, quae quasi in promptu erat, in omnes fere pervulgata fuisse videtur. Sed longe aliter de hac re iudicat Tarrhaeus. Nam quamquam et Strabo[4] et Pausanias[5] Samum, Ancaei filium, cuius a nomine insula appellata esse putabatur, ex Asii carmine epico noverunt, tamen de eius uxore Parthenia nos certiores facit solus Lucillus. Qui unde huius rei scientiam consecutus aut quantum fidei in hac interpretatione a communi opinione tantopere discrepante ei habendum sit, non iam diiudicari potest. Sed imprimis ea mente, ut in eiusmodi rebus perscrutandis et ingeniosus et suus esse videretur, Lucillum doctrinam tam raram reconditamque iactavisse hoc loco palam fit.

4. schol. Ap. Rhod. I 1165.

frg. XI a: *μέγα τ' ἠρίον] γράφεται καὶ μέγα τε ῥίον Αἰγαίωνος. (κακῶς). οὐ γὰρ τὸ ὄρος, ἀλλὰ τὸ μνημεῖον δηλοῖ. ὁ δὲ περὶ τοῦ Αἰγαίωνος μῦθός ἐστιν οὕτως. φυγὼν ἐκ τῆς Εὐβοίας ἦλθεν εἰς τὴν Φρυγίαν κἀκεῖ τὸν βίον ἐτελεύτησεν. γίγας δ' ἦν. οὕτως Ταῤῥαῖος.*

Iam dudum cognitum atque postremum a Deickeo[6] pluribus verbis explicatum est, hoc fragmentum in angustum coactum supra p. 373, 23—374, 7 *K* plenius ac fusius nobis servatum esse:

frg. XI b: *μέγα τ' ἠρίον] γράφεται καὶ μέγα τε ῥίον. καὶ τὸ μὲν ῥίον ἐστὶν ὄρος ἤτοι ἀκρωτήριον, τὸ δὲ ἠρίον μνημεῖον. οἴομαι δέ τινα ἀγνοοῦντα τὸν μῦθον τὸ ἠρίον μεταπεποιηκέναι, ἢ γραφέως ἁμαρτήματι παραλελεῖφθαι τὸ η. ὁ δὲ πρὸς τὸν*

---

[1] apud Athen. XV p. 672 A. [2] Pausan. VII 4, 4; VIII 23, 5.
[3] Preller-Robert, Griechische Mythologie I[4] (1894) p. 165 sq.
[4] Strab. XIV p. 637. [5] Pausan. VII 4, 1.
[6] De scholiis in Apollonium Rhod. quaest. sel., Diss. Gott. 1901 p. 37 sq.

Αἰγαίωνα μῦθος ὑπὸ Δημητρίου φαίνεται τοῦ Κνιδίου.[1] *Κόνων δὲ ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ φησὶν ὅτι Αἰγαίων καταγωνισθεὶς ὑπὸ Ποσειδῶνος κατεποντίσθη εἰς τὸ νῦν λεγόμενον ὑπὸ τοῦ Ἀπολλωνίου ἠρίον Αἰγαίωνος, τὸν αὐτὸν καὶ Βριάρεων καλῶν. Περὶ δὲ τῆς κλήσεως τοῦ πελάγους Σῆμος ἐν τῷ τρίτῳ τῆς Νησιάδος φησὶν ἐν τούτοις „τὸ Αἰγαῖον πέλαγος οἱ μὲν ἀπὸ τῆς περὶ Κάνας Αἰγὸς ἐπώνυμον γεγονέναι φασίν, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Καρυστίας τῆς Αἰγαίης ὀνομαζομένης. Αἱ μὲν γὰρ Αἰγαί, ἔνθεν τὸν Ποσειδῶνα παραγίνεσθαί φασι, κατὰ Πελοπόννησόν εἰσιν ἐν τοῖς περὶ Κρῖσαν τόποις. Εἰσὶ δέ τινες, οἳ διὰ τὸ θεωρεῖσθαι δι᾽ ὅλου τοῦ πελάγους τὴν παρακειμένην γῆν.“*

Quo in fragmento imprimis id observare nostra multum interest, quod ad res fabulares et geographicas explanandas pertinet. Quin autem harum quaestionum Lucillus fuerit peritissimus, si omnino opus est disputatione, is, qui hoc fragmentum perlegerit, in dubium non vocabit. Nam praeterquam quod eorum, qui in hac causa versati sunt, Demetrii, Cononis, Semi aliorum libros excussit, in tanta huius fabulae formarum varietate[2] suo iudicio uti eamque, quam ipse sequitur, formam verissimam dicere audet. Quae qualis fuerit ex Arriano[3] optime cognoscimus. Hoc autem in rerum contextu praecipue id mihi summi ponderis esse videtur, quod ea huius fabulae forma, quam Aristarcheorum schola tradidit, cum hac non paulum discrepat. Nam cum Lucillus Aegaeonem Gigantem dicat, illi[4] eum *ἐνάλιον δαίμονα* filiumque Neptuni fuisse tradiderunt.

Utilissimum autem ad cognoscendum, quam studiose Lucillus Apollonii carmini interpretando dederit operam, quintum fragmentum est, quod nomine eius signatur:

---

[1] Cum Demetrium Cnidium ignoremus, nescio an cogitandum sit aut de corruptela ex *Σκήψιος* orta, quod Demetrius Scepsius supra (p. 373, 19) affertur, aut de Callatino, quem regiones circa Pontum sitas optime descripsisse notum est et brevissimo fragmento, quod Theocriti scholiasta (ad I 65/66a) servavit, memoriam de Briareo proditam attingentem invenimus.

[2] cf. Preller-Robert, l. l. p. 623.

[3] apud Eustath. ad Il. *A* 397, p. 123, 35; cf. Tuempel, P. W. I 1 s. v. Aigaion col. 946.

[4] cf. schol. A ad Il. *A* 399 et 404.

5. schol. in Ap. Rhod. I 1040.

frg. XII: *Τηλεκλῆα ἠδὲ Μεγαβρόντην] πέπλακε τὰ ὀνόματα ταῦτα Ἀπολλώνιος, οὐκ ἀπὸ ἱστορίας ἔλαβεν. οὕτω Ταῤῥαῖος.*

Demonstravit quidem testante scholiasta ad I 1039 Sophocles hanc Lucilli sententiam falsam esse et ostendit[1] Apollonium et haec nomina et alia, quae ad res in Dolionum terra ab Argonautis gestas pertinent, ex commentario rerum Cyzicenarum diu oblivione obruto, sed a Sophocle ad lucem protracto, quem Deilochus — ante bellum Peloponnesiacum teste Dionysio Halic.[2] — conscripserat, sumpsisse. Qui Deilochi liber Lucillum quidem fugit, tamen eum, ut erat deditus historiae fabularumque studio, scriptores, qui de Argonautarum fabula egerant, evolvendo germanam eius formam investigavisse et, ubi Apollonius cum ea discreparet, annotavisse ex hoc scholio discimus.

Quo fragmento nisus Deickeus[3] numerum scholiorum, quae Lucillo tribuenda essent, etiam augere conatus est. Nam profectus ab ea re, quod interdum in scholiis Apollonius modo laudatur, modo vituperatur, propter hoc scholion (I 1040) vituperatorem fuisse Lucillum et ad eundem „cetera quoque scholia, in quibus res a poeta fictae ei crimini darentur, praeterea etiam scholia illa astronomica cum his artissime cohaerentia, omnia denique scholia, in quibus consilium poetae reprehendendi cognosceretur“ referenda esse opinatus est. At commentatores, cum illud *παρ' ἱστορίαν* (cf. p. 37) annotabant, nihil nisi id praedicare volebant poetam cum *κοινῷ λόγῳ*, qui dicebatur, non concinere.[4] Quod qui reprehendendi causa annotatum esse confirmare velit, eum demonstrare necesse est illos commentatores tam insulsos fuisse, ut poetas *κοινῷ λόγῳ* illigatos et obstrictos esse putarent.

Itaque cum Deickei opinio fundamento parum firmo nitatur, illa quoque scholia, quae Tarrhaeo vindicavit, in

---

[1] cf. Knaack, De fabulis nonnullis Cyzicenis, Commentationes philologicae in honorem sodalicii philol. Gryphisw. (1887) p. 40, et Schwartz, P. W. IV 2 s. v. Deïochos (3) col. 2398.

[2] De Thucyd. iudic. 5. [3] l. l. p. 72 sq.

[4] cf. Roemer, Die Notation der Alexandrinischen Philologen bei den griech. Dramatikern, Abhandl. der bayr. Akad. 19 (1892) p. 670.

nostram rem convertere interim non audemus,[1] quamquam in iis ipsis nihil inest, quod id facere nos prohibeat. Sed vel ea, quae tractavimus, scholia satis magnam praebent materiam adumbraturis, quale fuerit Lucilli commentarium. Namque eum et arti criticae et verborum interpretationi operam dedisse, si omnino testimoniis opus est, ex iis discimus. Imprimis autem in historia fabulari propter abstrusas fabulas ubique interspersas locaque fabulosa saepissime commemorata eum, qui Apollonii carmen interpretandum sibi proposuerat, studiose et multum volutatum esse necesse erat. Atque plurimum in his rebus Lucillum sibi confisum esse inde apparet, quod, ubi fabulatores inter se discrepabant, suo iudicio uti ausus est et ostentationis quodam, ut videtur, studio communem aspernatus opinionem abditam doctrinam protulit. Gravissimum vero id est, quod neque Homeri exemplar, ex quo versum affert, ex editione criticam Aristarchi manum experta transscriptum esse videtur et, ubi in his commentarii frustulis ea attinguntur, de quibus Aristarchus quoque eiusque sectatores, quid sentirent, aperuerant, Lucillus cum his plane dissidet. Atque plura eiusdem generis infra afferentur.

§ 4.

De fragmentis, quae ex technicis Lucilli scriptis supersunt.

1. Arti Dionysii Thracis grammaticae, qua pauci libri unquam latius pervulgati sunt, iam paulo postquam edita erat, ab interpretibus ubera ascripta sunt scholia, quae per saecula aucta et amplificata ad extremum a publicis universitatis Constantinopolitanae doctoribus in vastam illam scholiorum molem dilatata sunt, quae Hilgardus nuper amplo volumine[2] congregavit. Quae scholia, quamquam, quae praebent, saepissime levia sunt ac nugatoria, tamen quod permulta fragmenta haud spernendae insignium prioris aetatis grammaticorum doctrinae exhibent, magni pretii sunt. Quo in numero Lucillus est,

[1] Ne schol. I 51 quidem, quod Wilamowitzius (Hell. Dichtung, Berl. 1924 II 228, 2) „Tarrhaeo" tribuere non dubitat.

[2] Grammatici Graeci I 3.

cuius ex technicis libris hoc modo nonnulla ad nos venerunt. In scholiis enim Vat. (p. 110, 33 H.) sunt haec:

frg. XIII: *Λούκι⟨λλ⟩ος δὲ ὁ Ταῤῥαῖος λέγει, ὅτι τῆς τέχνης εἴδη ⟨εἰσὶν⟩ τέσσερα, ἀποτελεσματικόν, πρακτικόν, ὀργανικόν, θεωρητικόν.*

Quae verba sine dubio ex eius operis exordio petita sunt, quod *τεχνικά* continens *γλαφυρώτατον* fuisse Stephanus testatur (cf. p. 73). Etenim idem, quod in opere eius paroemiographico, hoc quoque loco observamus: Lucillum, qui non solum notioni *γραμματικῆς* definiendae verum etiam principiis altius repetitis praenotioni *τέχνης* explicandae dederit operam, in huius quoque libri praefatione philosophi ratione animoque quaestiones tractavisse. Atque assentiendum videtur Usenero,[1] qui hoc definiendi dividendique studium inde ortum esse dicit, quod paulo ante Lucilli aetatem Platonis et Aristotelis scripta in scholis tractari coepta erant. Ex quo enim Andronicus et Tyrannio Aristotelis opera suppleta et retractata ediderant, hic philosophus imprimis Romae praeter alios vigebat. Quare non solum Strabo Stoicus,[2] ut Stagiritae sapientiam cognosceret, Boethum adiit, sed etiam Posidonius[3] ab eo ductus et rectus est posterisque temporibus et Peripatetici et Stoici commentaria in eum composuerunt.[4]

In Topicorum autem libro, quem Aristoteles adulescens scripsit, *ἡ ἐπιστήμη* trifariam dividitur in *εἶδος πρακτικόν, ποιητικόν, θεωρητικόν,*[5] quam partitionem ab Academico philosopho, fortasse ab ipso Platone excogitatam esse Mutschmannus[6] exposuit. Qua ex tripartitione in subtili verborum *ποιεῖν* et *πράττειν* distinctione posita complures emanaverunt quadripartitiones, quarum ea, qua similitudinem Aristotelicae divisionis proxime artes in *θεωρητικάς, πρακτικάς, ποιητικάς καὶ ἐκ τούτων μικτάς*[7] dividebantur, cum iam Quintiliano[8] praesto fuerit, antiquissima esse videtur. Quam divisionem

[1] l. l. p. 313 (645). [2] Strab. XVI p. 757.
[3] ibid. II p. 104. [4] Zeller-Wellmann, l. l. III 1⁴ p. 642 sq.
[5] Top. p. 145 a 15; idem Metaph. V 1 p. 1026 b et X 7 p. 1064 a.
[6] Herm. 48 (1913) p. 307. [7] p. 112, 22 Hilg.
[8] inst. orat. II 18, 1—3; quartum artium genus, *ἐκ τούτων μικταί,* apud Quintilianum subest verbis: „mihi autem (rhetorice) videtur etiam ex illis ceteris artibus multum adsumere".

submutantes alii[1] artes *θεωρητικάς, πρακτικάς, αποτελεστικάς, περιποιητικάς* discreverunt. Tertiam denique, quam novimus, artium quadripartitionem Lucillus concoxit, qua quam obnoxie hic sicut longe plurimi aequalium per priorum vestigia ierit, iterum planum fit.

Atque demonstrare conatus est Usenerus in Peripateticorum schola imprimis a Tyrannione artis grammaticae disciplinam constitutam esse ea re insignem, quod notiones, cum dissecarentur, quadrifariam dividi solitae essent. Sed quod ea, quae ex Tyrannionis disciplina etiam posteris nota erant, per Lucilli opus grammaticum iis tradita esse putat,[2] haec opinio, cum praeter hanc unam quadripartitionem ex illo opere nulla ad nos pervenerit, parum probata mihi videtur. Immo ne eius quidem rei, quod hanc divisionem ex Tyrannionis quadripartitionum exemplis a Lucillo effictam esse censet, argumentum ad fidem faciendam probabile proferri potest. Nam praeterquam quod Posidonius quoque artes in 1. vulgares et sordidas, 2. ludicras, 3. pueriles, 4. liberales distribuit[3], ipsi Stoici, quibus *ὁ ἀριθμὸς ὁ τέσσαρα γεννητικὸς καὶ τίμιος*[4] erat, hanc dividendi rationem in deliciis habuerant. Quare mirum non est, quod qui ruinas disciplinae a Stoicis constitutae rimabatur, in eiusmodi divisiones usque quaque incidit.

Quattuor enim Stoici enumerabant elementa: *πῦρ, ἀέρα, ὕδωρ, γῆν,*[5] quattuor *τῶν ἀσωμάτων* genera: *λεπτόν, κενόν, τόπον, χρόνον.*[6] His elementis conveniunt quattuor primae qualitates: *τὸ θερμόν, τὸ ψυχρόν, τὸ ξηρόν, τὸ ὑγρόν.*[7] Addendum eodem est, quod quattuor modis: *παραθέσει, μίξει, κράσει, συγχύσει*[8] corpora ex elementis nata esse censebant, cuius rei causae essent quattuor: *τὰ προκαταρκτικά, τὰ συνεκτικα, τὰ συναίτια, τὰ συνεργά.*[9] Iidem autem decem praedicamenta Aristotelica in quattuor coartaverunt: *εἰς ὑποκείμενα καὶ ποιὰ καὶ πῶς ἔχοντα καὶ πρός τί πως ἔχοντα.*[10] Anima

---

[1] p. 122, 28 Hilg. [2] p. 314 (647). [3] Seneca, ep. 88, 18.
[4] schol. Vat. in Dion. Thrac. art. gramm. p. 141 Hilg.
[5] Stob. ecl. I p. 129, 1 W. [6] Sext. Emp. adv. math. X 218.
[7] Galen. de nat. facult. II 4 vol. II p. 88 K.
[8] Stob. ecl. I p. 153, 24 W. [9] Clem. Alex. Strom. VIII 9 p. 101, 13 St.
[10] Simplicius, in Arist. categ. f. 16 Δ ed. Bas. = p. 67, 1 Kalbfleisch.

denique iis *ὀκταμερής* est et octava pars animae, *τὸ ἡγεμονικόν*, complectitur: *φαντασίαν, συγκατάθεσιν, ὁρμήν, λόγον.*[1] — Eandem dividendi rationem in morali quoque philosophiae parte a Stoicis adhibitam invenimus. Nam *τὸ καλόν* secabant in *τὸ δίκαιον, τὸ ἀνδρεῖον, τὸ κόσμιον, τὸ ἐπιστημονικόν* pariterque *τὸ αἰσχρόν* in *τὸ ἄδικον, τὸ δειλόν, τὸ ἄκοσμον, τὸ ἄφρον.*[2] Ad hoc iis quattuor *τῶν ἀρετῶν* genera illa sunt: *φρόνησις, σωφροσύνη, ἀνδρεία, δικαιοσύνη;*[3] quattuor *τῶν παθῶν: ἐπιθυμία, φόβος, λύπη, ἡδονή;*[4] quattuor *τῶν λυπῶν: ἄχος, ἄχθος, φθόνος, ἔλεος.*[5] — Atque idem quadripartitionum studium ceteris quoque rationis disciplinaeque Stoicae partibus subest. Tribus enim orationis partibus, quas Aristoteles distinxerat, quartam addentes enumerant has: *ὄνομα, ῥῆμα, σύνδεσμον, ἄρθρον.*[6] Porro quae a rhetoribus praecipiuntur, secundum illos ad *εὕρεσιν, φράσιν, τάξιν, ὑπόκρισιν* pertinent et *ὁ ῥητορικὸς λόγος εἰς τὸ προοίμιον, τὴν διήγησιν, τὰ πρὸς τοὺς ἀντιδίκους, τὸν ἐπίλογον*[7] distribuitur. In arte denique syllogistica *λόγους ἀπεράντους* et *περαντικούς* discernunt; ille autem *λόγος ἀπέραντος τετραχῶς γίγνεται: κατὰ διάρτησιν, κατὰ παρολκήν, κατὰ τὸ ἐν μοχθηρῷ ἠρωτῆσθαι σχήματι, κατὰ ἔλλειψιν.*[8]

Sed haec satis multa, vel plura potius, quam necesse fuit ad demonstrandum Stoicos quoque, ut erant studiosi divisionum, summum tenuisse quadripartiendi studium. Quae cum ita sint, utrum Peripateticorum an Stoicorum sectam Lucillus secutus sit, ex hoc fragmento effici nequit. Verum tamen quod supra cognoveramus, idem eo iterum confirmatur: ad philosophiae quoque studia grammaticum inclinavisse, quibus etiam Aristotelem, philosophum tum Romae maxime placentem, amplexus esse videtur. Praeterea artem rhetoricam eum professum esse supra vidimus. Atqui inde a primo a. Chr. n. saeculo, ut adulescentes his ipsis studiis: gram-

---

[1] Stob. ecl. I p. 369, 5 W. [2] Diog. Laert. VII 100.
[3] Philo, Leg. Alleg. I 63 vol. I p. 77, 12 W.
[4] Stob. ecl. II p. 88, 6 W. [5] Nemesius, de nat. hom. 19.
[6] Dionys. Halic., de comp. verb. 2 p. 7, 3 U.-R.
[7] Diog. Laert. VII 42.
[8] Sext. Emp. adv. math. VIII 429.

maticis, philosophicis, rhetoricis se dederent et hac doctrinae forma undique expleta et perfecta instruerentur, ab ipsis Romanis[1] postulabatur. Itaque cum in Lucilli fragmentis tam paucis tam expressa trium harum artium vestigia exstent, nonne licet opinari grammaticum, cuius studia tantopere cum iis, quae rationes institutionis in ipsa urbe Roma ferebant, convenirent, ibi artem suam administravisse?

2. Reliquum est, ut nonnulla, quae ex Lucilli *περὶ γραμμάτων* libro excerpta imprimis per Dionysii Thracis interpretes nobis tradita sunt, perlustremus, qua in re a consuetudine eorum, qui hanc quaestionem adhuc tetigerunt, deflectentes non ea, quae Bekkerus[2] aut Cramerus[3] e scholiis Dionysianis edidere, sed eas doctorum Byzantinorum explanationes, quas Hilgardus integriores plenioresque publici iuris fecit, sequemur. Ac primum quidem in scholiis Londinensibus (p. 484 H.) sunt haec:

frg. XIV: *ἐπειδὴ δὲ διάφοροι παρὰ τοῖς ἀρχαίοις χαρακτῆρες τῶν στοιχείων ἦσαν, ἀναγκαῖον ἐκθέσθαι αὐτοὺς πρὸς σαφήνειαν. τούτων γὰρ ἐκτιθεμένων οὐ ταράξει ἡμᾶς ⟨ὁ⟩ ἀσυνήθεις ἡμῖν χαρακτῆρας δεικνύς. Ταῦτα Λούκι⟨λλ⟩ος ὁ Ταῤῥαῖος παρατίθεται.*

Haec verba testis est Hilgardus conspectum variarum unius cuiusque ex viginti litteris formarum sequi, in quo praeposita litterarum vulgarium minorum serie singulis subiectae sint modo plures modo pauciores eiusdem litterae formae aut solius aut cum aliis conexae, quarum summa est 297. Atque eandem tabulam testante Hoerschelmanno[4] Iriarteus in cod. Matr. LXXXI n. 60 invenit, ubi „post praefixam inscriptionem *ταῦτα Λούκι⟨λλ⟩ος ὁ Ταῤῥαῖος παρατίθεται* alphabetum occurrit ex multiformis litteris partim minus usitatis, partim antiquis et obsoletis, partim denique arcanis conflatum".

Quo cum fragmento in rem fore credo contexere alterum Lucilli libri frustulum, quod Priscianus[5] in libello de figuris numerorum scripto nobis servavit:

---

[1] cf. de Arnim, Dio von Prusa I p. 112. [2] Anecd. Graec. II p. 781 sqq.
[3] Anecd. Graec. Oxon. IV p. 318, 12—320, 23.
[4] Zur Geschichte der griech. Grammatiker, Acta soc. philol. Lips. IV (1875) p. 333. [5] G. L. III p. 406, 22 K.

frg. XV: quinquaginta per L ⟨scribitur⟩, quia apud antiquos Graecos L pro N, quae nota est quinquaginta, ponebatur teste Apollonide et Luci⟨ll⟩o Tarrhaeo.[1]

Atque id quidem vel hae tenues reliquiae nos docent Lucillum non in sui temporis litteris se continuisse, sed longe maximam, ut videtur, studiorum partem antiquae litteraturae explanandae impertivisse. Quo opere quam abunde huic toti quaestioni satisfecerit, fragmentum ex Prisciano modo allatum declarat, quo vel id, qua ratione antiqui Graeci litteris ad numeros notandos usi essent, Lucillum in eo exposuisse planum fit. Atque etiam de hac minore quaestione tam accurate videtur disputavisse, ut — si fidem habemus Buechelero,[2] qui ea quoque, quae fragmento XV apud Priscianum antecedunt, ex Lucillo hausta esse argumentis haud levibus nixus opinatus est — praeter usitatissimam numerorum notandorum rationem, dico litterarum, etiam alteram siglorum rationem tum iam pridem obsoletam[3] tractavisse putandus sit. Quae cum ita sint, mirum esset, si de litterarum inventione, qua quaestione certe nulla veteres magis detinuit aut saepius[4] a grammaticis et historicis agitata est, in illa Lucilli commentatione rem ex omnibus partibus pertentante maiorumque litteraturae tantum spatii concedente uberius dictum non esset. Et praecedit fragmento ex scholiis Londinensibus supra allato tractatus de litterarum inventione copiosus, quem, cum ex Lucilli opere eum ipsum quoque sumptum esse demonstrari possit, totum exscribo (p. 183, 1—185, 28 H.):

frg. XVI: *Τῶν στοιχείων εὑρετὴν ἄλλοι τε καὶ Ἔφορος ἐν δευτέρῳ Κάδμον φασίν. οἱ δὲ οὐχ εὑρετήν, τῆς δὲ Φοινίκων εὑρέσεως πρὸς ἡμᾶς διάκτορον γεγενῆσθαι, ὡς καὶ Ἡρόδοτος ἐν ταῖς ἱστορίαις καὶ Ἀριστοτέλης ἱστορεῖ. φασὶ γὰρ ὅτι Φοίνικες μὲν εὗρον τὰ στοιχεῖα, Κάδμος δὲ ἤγαγεν αὐτὰ εἰς τὴν Ἑλλάδα. Πυθόδωρος δὲ ἐν τῷ περὶ στοιχείων καὶ Φίλλις ὁ Δήλιος ἐν τῷ περὶ χρόνων πρὸ Κάδμου Δαναὸν μετακομίσαι*

---

[1] Idem Priscianus in Instit. quoque (I 49 = G. L. II p. 37, 1) omissis quidem auctorum nominibus affert.

[2] Prosopographica, Rh. Mus. 63 (1908) p. 192 sq.

[3] cf. Larfeld, Handbuch der griech. Epigraphik I p. 417.

[4] cf. infra p. 106.

αὐτά φασιν. ἐπιμαρτυροῦσι τούτοις καὶ οἱ Μιλησιακοὶ συγγραφεῖς Ἀναξίμανδρος καὶ Διονύσιος καὶ Ἑκαταῖος, οὓς καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν νεῶν καταλόγῳ παρατίθεται. Ἔνιοι δὲ Μουσαῖον εὑρετὴν λέγουσι τὸν Μητίονος καὶ Στερόπης κατ' Ὀρφέα γενόμενον. Ἀντικλείδης δὲ ὁ Ἀθηναῖος Αἰγυπτίοις τὴν εὕρεσιν ἀνατίθησιν. Δοσιάδης δὲ ἐν Κρήτῃ φησὶν εὑρεθῆναι αὐτά. Αἰσχύλος δὲ Προμηθέα φησὶν εὑρηκέναι ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι, Στησίχορος δὲ ἐν δευτέρῳ Ὀρεστείας καὶ Εὐριπίδης τὸν Παλαμήδην φασὶν εὑρηκέναι, Μνασέας δὲ Ἑρμῆν, ἄλλοι δὲ ἄλλον. Πιθανὸν δὲ κατὰ πάντα τόπον εὑρετὰς γεγενῆσθαι, διὸ καὶ ἄλλοι παρ' ἄλλοις εἰσὶ χαρακτῆρες τῶν στοιχείων. οἷς δὲ νυνὶ χρώμεθα, εἰσὶν Ἰωνικοί, εἰσενέγκαντος Ἀρχίνου παρ' Ἀθηναίοις ψήφισμα, τοὺς γραμματιστάς, ἤγουν διδασκάλους, παιδεύειν τὴν Ἰωνικὴν γραμματικήν, ἤγουν τὰ γράμματα. Διέταξε δὲ τὰ στοιχεῖα γράφεσθαι, ὡς γράφομεν νῦν, Προναπίδης ὁ Ἀθηναῖος. τῶν γὰρ ἀρχαίων οἱ μὲν σπειρηδὸν ἔγραφον, οἱ δὲ πλινθηδόν, οἱ δὲ βουστροφηδόν, οἱ δὲ κιονηδόν. ἔγραφον δὲ αὐτὰ καὶ δισχιδὸν ἤγουν στιχηδόν, ᾗ γραφῇ καὶ ἡμεῖς νῦν χρώμεθα. δισχιδὸν δὲ λέγεται τὰ στιχηδὸν γεγραμμένα παρὰ τὸ ἔχειν διεσχισμένους καὶ διακεχωρισμένους τοὺς στίχους ἀπ' ἀλλήλων. Διὰ τοῦτο δὲ καὶ οὐκ ἄλλοις χαρακτῆρσι χρώμεθα τῶν στοιχείων, ἀλλὰ τοῖς Ἰωνικοῖς, ὡς μὲν Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανὸς λέγει, διὰ τὸ κάλλος καὶ ὅτι πλεῖστα τῶν συγγραμμάτων τούτοις ἐγέγραπτο τοῖς χαρακτῆρσι, ὡς δὲ Διόδωρος καὶ Ἀπίων ἐν τῷ περὶ τῶν στοιχείων, ὅτι πλεῖστοι συγγραφεῖς καὶ οἱ ποιηταὶ ἀπὸ τῆς Ἰωνίας τούτοις τοῖς τύποις ἐχρήσαντο. Ἀπολλώνιος δὲ ὁ Μεσσήνιος ἐν τῷ περὶ ἀρχαίων γραμμάτων φησί τινας λέγειν, ὅτι Πυθαγόρας αὐτῶν τοῦ κάλλους ἐπεμελήθη, ἐκ τῆς κατὰ γεωμετρίαν γραμμῆς ῥυθμίσας αὐτὰ γωνίαις καὶ περιφερείαις καὶ εὐθείαις.

Ἰστέον δὲ ὅτι τὰ ὀνόματα τῶν στοιχείων ἄκλιτά εἰσιν, ὡς μέν φασί τινες, ὅτι βαρβάρων ἐστὶν εὑρήματα. Πρὸς οὓς ἔστιν εἰπεῖν, ὅτι πρῶτον μὲν πολλὰ ⟨ὀνόματα⟩ τῶν βαρβάρων κλίνονται, ὡς τὸ Ξέρξης καὶ Δαρεῖος· δεύτερον δὲ ὅτι ἄτοπόν ἐστιν τὸν θεμέλιον τῆς Ἑλληνικῆς διαλέκτου βαρβάρων εὕρημα λέγειν· τρίτον δὲ εἰ, διότι βαρβάρων ἐστὶν εὑρήματα, διὰ τοῦτο ἄκλιτά εἰσιν, ὤφελον ἐκεῖνα ⟨τὰ⟩ στοιχεῖα ἄκλιτα εἶναι μόνα, ἅπερ λέγουσι βαρβάρους εὑρεῖν, φημὶ δὴ α β γ δ ε ι κ λ μ ν ο

π ϱ σ τ υ, τὰ δὲ ἄλλα ὀκτὼ τὰ ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων εὑϱεθέντα ὤφειλον κλίνεσθαι, φημὶ δὴ τὰ δύο μακϱά, τὸ η καὶ τὸ ω, καὶ τὰ τϱία διπλᾶ ζ ξ ψ, καὶ τὰ τϱία δασέα ϑ φ χ. Κακῶς οὖν λέγουσιν· ἀλλὰ κϱεῖττόν ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι διὰ τοῦτο τὰ ὀνόματα τῶν στοιχείων ἄκλιτά ἐστιν, ἢ ἐπειδὴ ἀϱχαί εἰσιν, αἱ δὲ ἀϱχαὶ ϑέλουσι ἁπλαῖ τε εἶναι καὶ ἀποίκιλοι, ὥσπεϱ ἡ λευκότης αὐτὴ καθ᾽ ἑαυτὴν νοουμένη ἁπλῆ ἐστιν· ἢ ὅτι οἱ ϑεμέλιοι ἀμεταϑέτως ϑέλουσιν ἔχειν· ἢ διὰ τὸ ἀϱτιμαϑὲς τῶν παίδων οὐ κλίνονται, ἵνα μὴ πολλὰ γενόμενα δυσκατάληπτα αὐτοῖς γίνωνται. Παϱὰ Δημοκϱίτῳ δὲ κλίνονται, λέγει γὰϱ δέλτατος καὶ ϑήτατος. Ταῦτα μὲν ἐν τούτοις.

Φοινίκεια δὲ τὰ γϱάμματα ἐλέγοντο, ὥς φησιν Ἔφοϱος ὁ Κυμαῖος καὶ Ἡϱόδοτος, ἐπεὶ Φοίνικες εὗϱον αὐτά. Εὐφϱόνιος δέ, ὅτι μίλτῳ τὸ πϱότεϱον ἐγϱάφοντο, ὅ ἐστι χϱῶμά τι φοινικοῦν. Ἐτεωνεὺς ⟨δὲ⟩ καὶ Μένανδϱος, ἐπειδὴ ἐν πετάλοις φοινικείοις ἐγϱάφοντο· ἢ, ὅπεϱ κϱεῖττόν ἐστιν εἰπεῖν, ὅτι φοινίσσεται ὑπ᾽ αὐτῶν ὁ νοῦς ἤγουν λαμπϱύνεται. Ἄνδϱων δὲ καὶ Μενεκϱάτης ὁ Ὀλύνθιος ἀπὸ Φοινίκης, τῆς Ἀκταίωνος ϑυγατϱός. Ἀπολλώνιος δὲ ὁ τοῦ Ἀϱχιβίου, ἐπειδὴ οἱ ἀντίγϱαφοι ἀπὸ φοίνικος ξύλον εἶχον καὶ μετ᾽ αὐτοῦ ἔγϱαφον. Δοῦϱις δὲ ὁ Σάμιος ὁ ἱστοϱικὸς ἐν ὀγδόῃ ⟨τῶν⟩ Μακεδονικῶν ἀπὸ Φοίνικος τοῦ Ἀχιλλέως τϱοφοῦ. Ἀλέξανδϱος δὲ ὁ Ῥόδιος ἀπὸ Φοίνικος τοῦ Πϱονάπου καὶ Εὐϱώπης, εὑϱόντος αὐτὰ ἐν Κϱήτῃ, ὃν ἀπέκτεινε Ῥαδάμανϑυς φϑονήσας.

Εὗϱεταὶ δὲ τῶν λοιπῶν χαϱακτήϱων, τουτέστι τῶν ὀκτώ, οἷον τῶν δύο μακϱῶν καὶ τῶν τϱιῶν διπλῶν καὶ τῶν τϱιῶν δασέων, δηλονότι Σιμωνίδης μὲν ὁ Κεῖος τῶν δύο μακϱῶν καὶ τοῦ ξ καὶ τοῦ ψ, Παλαμήδης δὲ τῶν δασέων καὶ τοῦ ζ, ἢ ὥς φασί τινες Ἐπίχαϱμος ὁ Συϱακούσιος.

Ὅσοι δὲ τὴν τῶν γϱαμμάτων εὕϱεσιν Σισύφῳ ἢ Παλαμήδῃ ἢ Φοίνικι ἢ Πϱομηϑεῖ ἐφάπτουσιν, ἢ ἐν Φοινίκῃ ἀπὸ οὐϱανοῦ πεπτωκέναι φασίν, ἢ παϱ᾽ Αἰγυπτίοις εὑϱηκέναι Θώϑ, ὃν Ἑϱμῆν ἑϱμηνεύουσιν ⟨οὐκ ὀϱϑῶς λέγουσιν⟩. Καὶ γὰϱ ἡ φύσις, ἡνίκα ἐδημιούϱγησε τὸν ἄνϑϱωπον, ἐχαϱίσατο αὐτῷ τοιαύτην ἐπιτηδειότητα, ὥστε τεχνάσασϑαι ταῦτα τὰ στοιχεῖα. Δείκνυνται δὲ ταῦτα καὶ πϱὸ τῶν Ἰλιακῶν ὄντα, ὡς δῆλον ἐκ τῶν Βελλεϱοφόντου· φησὶ γὰϱ ὁ ποιητής: γϱάψας ἐν πίνακι πτυκτῷ ϑυμοφϑόϱα πολλά. Ὁ δὲ Βελλεϱοφόντης πϱὸ τοῦ Τϱωϊκοῦ

πολέμου ἦν, καὶ γὰρ πάππος ἦν τοῦ Γλαύκου τοῦ ἐν τῷ Τρωϊκῷ πολέμῳ ὄντος. Ἀλλὰ καὶ ἐν Πυθοῖ ἦν λέβης ἐπιγεγραμμένος: Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκε λαβὼν ἀπὸ Τηλεβοάων. καὶ ἐν Τάφῳ τῇ νήσῳ

Ὠκεανοῦ θυγάτηρ καὶ Τηθύος εἰμὶ Νύχεια
κρήνη. Τηλεβόαι γάρ με τόδ' ὠνόμασαν.
νύμφαις μὲν προχέω λουτρόν, θνητοῖσι δ' ὑγείην.
θῆκε δέ με Πτερέλας, υἱὸς Ἐνυαλίου.

Μετὰ δὲ τὸν ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸν οὐδεὶς τῶν περιλειφθέντων Ἑλλήνων ἐφύλαξεν αὐτῶν τὴν μνήμην πλὴν τῶν Πελασγῶν τῶν ἀφ' Ἑλλάδος εἰς βαρβάρους πλανηθέντων, οὓς καὶ ὁ ποιητὴς δίους καλεῖ φάσκων: καὶ Λέλεγες καὶ Καύκωνες δῖοί τε Πελασγοί. παρ' ὧν μαθόντες πρῶτοι Φοίνικες εἰς Ἕλληνας ἤγαγον, γείτονές τε βαρβάρων ὄντες καὶ συνεχεῖς ἐμπορίας ποιούμενοι.

Hunc igitur libellum a grammatico Byzantini aevi compositum esse non posse Hoerschelmannus optimo iure inde conclusit, quod in magno numero scriptorum ab auctore eius laudatorum permulti sunt, quorum libri Byzantinis certe non iam prostabant. Sed auctori eos etiam accuratius innotuisse ex eo cognoscitur, quod operum prolatorum titulos, quin etiam, cum complurium voluminum erant, voluminum numeros (cf. e. g. *Ἔφορος ἐν δευτέρῳ, Δοῦρις ὁ Σάμιος ὁ ἱστορικὸς ἐν ὀγδόῃ τῶν Μακεδονικῶν, Στησίχορος ἐν δευτέρῳ Ὀρεστείας*) tam accurate afferre scivit. Quare eum his auctoribus aetate multo propiorem fuisse certum est.

Quam multis autem saeculis auctor ante Byzantinos fuerit, ex ea re cognoscimus, quod in magno scriptorum allatorum numero Apollonii Dyscoli et Herodiani nomina frustra requirimus, quamquam in eorum studiis, quae ad litteras quoque pertinuisse notum est, Byzantinorum doctrinam imprimis subnixam esse constat Dyscolusque se etiam de litterarum inventione egisse ipse dixit.[1] Quam rem declarare non possumus nisi ita, ut librum, ex quo tractatus ille — fortasse ab aliquo Dionysii Thracis interprete vetusto — excerptus est, iam ante Apollonium scriptum esse ponamus.

---

[1] Synt. I 3, 13 b (= G. G. II 2 p. 19 Uhl.)

Et rursus post quem terminum ille liber compositus sit, id, ubi inquirendi rationem, quam Hoerschelmannus iniit, secuti scriptorum, quos auctor affert, aetates spectaverimus, facili negotio eruemus. Quorum plerique, in his Anticlides Atheniensis, quem tertio saeculo ascribendum esse Schwartzius[1] interim ostendit, ante Christum natum ponendi sunt; inter eos autem, qui post Chr. n. fuerunt, Apollonius ὁ Ἀρχιβίου et discipulus[2] eius Apio, quem usque ad imperatorem Claudium floruisse notum est, aetate infimi esse videntur. At Lucilli aetatem post Augustum et ante Herennium Philonem fuisse supra vidimus. Quoniam autem Prisciano teste (cf. frg. XV) etiam Apollonide Nicaeensi, qui sub Tiberio floruit,[3] auctore usus est, Wilamowitzio[4] ascribenti eum medio ferme p. Chr. n. saeculo idque ita, ut maior vitae pars post annum quinquagesimum fuerit, assentiendum esse videtur. Ipsa igitur Lucilli aetate tenus scriptorum, qui in tractatu afferuntur, aetates fuerunt. Accedit, quod huic litterarum tabula praecedit, quam ex Lucilli περὶ γραμμάτων libro sumptam esse plane traditum est. Quid ergo ex his rebus colligendum videtur? Nempe hunc quoque tractatum ex Lucilli libro haustum esse.

Atque Hoerschelmannus quidem, qui ex temporum ratione Lucillum ante Didymum fuisse arbitraretur, priorem tractatus partem Tarrhaeo attribuit, de reliquis interim iudicium cohibuit. Postea vero cum Lucillum aetate aliquanto inferiorem fuisse cognitum esset, Hilgardus[5] et Usenerus[6] hunc tractatum ei omnem vindicare non dubitaverunt. Quod iure factum esse ex eo elucet, quod libellus totus, quamquam eum, qualem nunc habemus, integra sermonis perpetuitate ex Lucilli opere exscriptum esse verisimile non est, tamen, qua

---

[1] P. W. I 2 s. v. Antikleides (2) col. 2425 sq.

[2] Suid. s. v. Ἀπίων et Christ-Schmid, Griech. Lit.[6] II 1 (1920) p. 438.

[3] Diog. Laert. IX 109.

[4] Einleitung in die griech. Tragödie p. 187 ann. 129; cf. Susemihl, l. l. I p. 391 ann. 75. Falso Gudeman, Grundriß zur Gesch. der klass. Philol.[2] (1909) p. 92.

[5] praef. p. XXXV et Progr. Heidelberg 1880 p. 48.

[6] l. l. p. 313, cf. etiam Rohde-Schmid, Der griech. Roman[3] (1914) p. 233 ann. 1 s. f.

est aequabilitate sententiarum a communi opinione diversarum, ab uno eodemque scriptore sine dubio compositus est. Exponit enim hic, primum quae ab auctoribus Graecis de litterarum inventione memoriae prodita sint, deinde quid ipse de hac re sentiat. Illi autem scriptores omnes fere, imprimis Herodotus, Aristoteles, Pythodorus, Phillis Delius, Anaximander et Dionysius et Hecataeus Milesii, Anticlides Atheniensis, cuius sententiam Plinius[1] exhibet pleniorem, Ephorus, litteraturam a Phoenicibus aut Aegyptiis inventam Graeciaeque ab aliquo heroe importatam esse consentiunt. Atque idem Plato[2] docuit, quem hanc sententiam in scriptis hieroglyphicis[3] iam prolatam in Aegypto sibi finxisse putamus. Neque aliter Hermocrates Iasius,[4] quem exeunte quarto a. Chr. n. saeculo floruisse constat, et Demetrius Phalereus[4] teste Mario Victorino de hac re iudicaverunt. Cum autem etiam Aristarchi schola idem de origine litterarum Graecarum tradiderit,[5] mirum non est, quod non solum Varro in libro „de antiquitate litterarum" scripto[6] grammaticique aetate inferiores, verum etiam historici velut Cincius, Fabius, Gellius,[7] Tacitus[8] alii hanc omnibus fere communem sententiam propagaverunt.

Contra tractatus auctor fabulas, quibus litteras divinitus ad homines delatas esse narrabatur, aspernatus artem scribendi iam remotissima heroum aetate inventam esse explicat. Deucalionis autem temporibus, cum diluvio omnia fere animalia interissent, Pelasgos solos illius artis memoriam retinuisse suasque litteras Phoenicibus tradidisse. Postea vero Phoenices, cum mercaturae rationem cum Graecis iunxissent, iis litteras quoque reportavisse. In Graecia tum permulta alphabeta in aliis regionibus alia orta esse — ea distinguendi causa hoc loco litterarum tabula videtur inserta esse —, quorum Ionicum esset usitatissimum. — Cuius de litterarum inventione

[1] N. H. VII 193. [2] Phileb. p. 18 b et Phaedr. p. 274 d.

[3] cf. Brugsch, Religion u. Myth. d. alt. Ägypter, p. 440 et p. 446 sqq.

[4] G. L. VI p. 23, 19 K.; cf. Funaioli s. v. (11): P. W. VIII col. 887 sq.

[5] De schol. Hom. Od. ϑ 163 cf. Roemerum apud Belznerum, Homerische Probleme I (1911) p. 145 sq.

[6] G. L. II p. 8, 2 et V p. 108, 10 K.

[7] G. L. VI p. 23, 18 K., cf. Plin. N. H. VII 172. [8] ann. XI 14.

opinionis mirabilis atque singularis[1] gratia id quoque, quod de Pronapide Atheniensi narratur, eum primum a laeva ad dextram scripsisse, quoniam cum communi fama prorsus discrepat, ita videtur excogitatum esse. Dionysius enim Scytobrachio,[2] a quo Tatianus[3] et Tzetzes[4] aliquo modo pendent, hunc Pronapidem inter antiquissimos Graecorum poetas numeravit atque Homeri magistrum eum fuisse et carmina sua melica litteris mandavisse Pelasgis dixit. Quod igitur tractatus auctor hanc de Pronapide memoriam repudians eum pro veteriore *σπειρηδόν* aut *πλινθηδόν* aut *βουστροφηδόν* aut *κιονηδόν* scribendi consuetudine litteras dextrorsum ducendi rationem introduxisse credere maluit, nescio an ea re, ut ita sentiret, adductus sit, quod artem scribendi Graecis iam ultima antiquitate in usu fuisse ei persuasum erat, quam aetate Pronapidis longius progressam fuisse, quam ut Homeri magister Pelasgis litteris uti potuisset. Itaque cum totus tractatus hac sententia quasi vinculo contineatur, eum unius auctoris omnem esse putandum apparet.

Atque idem patebit, ubi quibus ex scriptoribus auctor sua sumpserit exposuerimus. Quorum primarius Herodotus est, qui p. 101, 3 et 103, 13 nominatim laudatur et de Cadmo et de priscarum litterarum significatione (*φοινίκεια*);[5] quin etiam illius inscriptionis, qua Amphitryonem tripodem Apollini dedicasse dicebatur, notitiam indidem[6] consecutus est. Quibus cum locis ex Herodoto sumptis ea coniunxit, quae de inventione artis scribendi aliunde petivit. Nam quae de hac quaestione profert, non ab ipso excogitata, sed multo ante ficta esse haud difficile est ad demonstrandum. Vestigia enim huius fabulae apud Plinium[7] quoque inveniuntur, qui usum litterarum aeternum fuisse Pelasgosque eas in Latium attulisse dicat. Expressiora vero eius indicia apud Diodorum[8] exstant, qui fabulam Rhodiorum,[9] ut videtur, propriam narrans de inven-

[1] p. 104, 9 sqq. et p. 102, 34 sq. et p. 190, 33 (Hilg.), quae verba post p. 102, 14 inculcanda esse infra videbimus.
[2] apud Diod. Sic. III 67, 5.
[3] Oratio ad Graecos 40 (Schr.)
[4] Chil. XIII 634.
[5] Herod. V 58.
[6] ibid. V 59.
[7] N. H. VII 193.
[8] Diod. Sic. V 57, 3—5.
[9] cf. Bethe, Untersuchung. zu Diodors Inselbuch, Herm. 24 (1889) p. 444.

tione litterarum eadem fere atque auctor tractatus fabulosis sane involuta tegimentis refert. Haec autem Diodorea ex Apollodori argumentosis περὶ νεῶν καταλόγου libris manasse Betheus[1] coniecit, quem secutus Wendlingius[2] et aliis argumentis et eo, quod quae tractatus auctor de Pelasgis narrat, simillime ab Homeri scholiasta B ad B 841 quoque memorantur, illum ipsum Apollodoro illa debere probavit. Iam vero Apollodori commentarius hic p. 102, 3 affertur, ubi de litterarum inventione eum docte et fuse disseruisse simul planum fit. Quae cum ita sint, ex ea quoque re, quod compluribus tractatus locis auctor ea, quae Herodotus et Apollodorus de hac quaestione exposuerant, in sua recepit, libellum ab uno atque eodem compositum esse colligimus.

Idem denique tractatus in scholiis Dionysianis (p. 190 sqq. Hilg.) partim uberior, partim plus minus decurtatus iterum legitur. Quam epitomam sero admodum ab homine Christiano scriptam esse inde elucet, quod ad varias scribendi rationes illustrandas psalmorum locus adhibitus est. Quare nihil habet admirationis, quod quae prioris libelli auctor de litteris a Graecis inventis barbarisque per Pelasgos allatis narraverat, hic frustra requiruntur. Haec enim opinio, quamvis placuerit Graeculis primi p. Chr. n. saeculi, qui cultus atque humanitatis omnes fere gentes excolentis se inventores ac seminatores esse sentientes tandem novo nationis suae amore exarserant,[3] tamen ab illis inferioris aetatis hominibus Christianis, qui Iosephis[4] patribusque ecclesiasticis[5] magis confisi cum omnem doctrinam tum scribendi artem orienti deberi putabant, omnino fere abhorrebat.[6] Ita factum est, ut epitomator Christianus, cum eodem esset animo, ea, quae ad litteras a Graecis inventas pertinebant, ex exemplari suo non transscripserit; qua in re eum fugit hoc modo magnam inter p. 190, 33 et p. 191, 29 (Hilg.) discrepantiam ortam esse. Sed cum

[1] p. 431 et 443.
[2] De Peplo Aristotelico, Diss. Argentor. 1891 p. 45 sqq.
[3] cf. Rohde, Griech. Roman p. 297. [4] contr. Apion. I 2 (10—13) N
[5] cf. e. g. Clem. Alex. Strom. I 16 p. 48, 10 St.
[6] Qui quantum in hac re processerint, ex schol. Marcianis (p. 320 Hilg.) discimus.

ceteris in rebus eadem aeque ac prioris tractatus auctor exponat, dubium non est, quin uterque eandem disputationem, quae fortasse a pristino artis Dionysianae interprete margini ascripta posteris obvenerat, nobis tradiderit.

Quae res cum ita se habeant, iam totum libellum, cuius partes alias ex aliis nexas omnesque inter se aptas et colligatas esse ostendimus, Tarrhaeo attribuendum esse putamus.

Iam vero investigandum videtur, quid hoc fragmentum de Lucillo nos doceat. Ac primum quidem quorsum spectet tam longus ille index scriptorum, qui ante eum de litterarum inventione egerint, primo aspectu non apertum est ad intellegendum. Nam qui hanc quaestionem proponentes nos in technographorum exemplum vocet, minime proferat, in quo acquiescamus. Illi enim, velut Columella,[1] Herodianus,[2] alii priores nominatim enumeravisse satis habuerunt. Sed Lucillus opiniones quoque priorum varias ac discrepantes affert, quibus suam ipsius sententiam mirabilem adiungit. Atqui inde a primo p. Chr. n. saeculo permultos scriptores rhetorum[3] praeceptis indulgentes, quo iis, quae statuebant, fidem facerent, quam plurima auctorum nomina attulisse notum est. Itaque cum mentem rhetoricam in aliis quoque Lucilli scriptis spirare cognoverimus, etiam hic scriptorum index eo consilio ab illo praemissus esse videtur, ut magna doctrina subtilitateque ostentata rhetorum modo πιθανότητα captaret. Cui rei non obstat, quod in auctoribus, ex quibus sua sumpsit, nominandis alibi haud aeque diligens est. Velut ea, quae de inventione litterarum ut suam opinionem profert, ex Herodoto et Apollodoro consuta esse modo vidimus; quae vero de Archino litteraturam Ionicam in communem usum inducente narrat,[4] a Theopompo repetita esse Usenerus[5] detexit.

Deinde autem ut in aliis ita in hoc fragmento Lucillus opinionem Aristarcheorum doctrinae plane repugnantem profert. Quare mirum non est, quod etiam argumentatio eius ab Aristarchi ratione toto caelo distat. Quod ut cognoscas, velim

---

[1] Rei rust. l. I 1, 7—14.

[2] Reitzenstein, Geschichte der griechischen Etymologika p. 302.

[3] cf. Stemplinger, l. l. p. 181 sq.

[4] cf. Larfeld, l. l. p. 451 sqq.

[5] Kleine Schriften I p. 175 sq. (= Rh. Mus. 25 [1870] p. 590 sqq.)

consideres, quam vilibus argumentis nisus Lucillus iam heroes litteris usos esse demonstrare studeat. Nam non minus propensus ad credulitatem, quam Herodotus in hac re fuerat, ex tripodis inscriptione iam Amphitryonem litteras scivisse colligit. Quin etiam epigramma dedicatorium ex aliqua sylloga fortasse sumptum,[1] quod ad Pterelaum, filium Enyalii, referri fingitur, in rem suam convertere non dubitat. Sed gravius argumentum est, quod ex Homero sibi parat. Namque illis *σήμασι λυγροῖς*, quae Bellerophо in Lyciam effert, litteras significari interpretatur, quamquam *εἴδωλα* a poeta dici[2] usumque litterarum ab heroibus omnino abiudicandum esse Aristarchum docuisse[3] sine dubio sibi conscius est. Quod autem Porphyrius quoque, philosophus ille Neoplatonicus et allegoricae interpretationis studiosus, hanc nimiam de heroum eruditione opinionem habet,[4] tantum abest, ut illam sententiam graviorem faciat, ut quos inter homines eiusmodi somnia placuerint patefaciat. Nec cessavit Aristarcheorum reclamatio. Nam in ipsis scholiis Londinensibus (p. 490, 7—27 Hilg.) anonymus doctrinae Aristarcheae defensor ea, quae Lucillus pro argumentis sumpsit, refutans opinioni eius considerate rescribit. Qui cum heroes illiteratos fuisse censeat, illis Homeri *σήμασι* vim *εἰδώλων* attribuit et epigrammata, quibus Lucillus argumentis utitur, posteris temporibus composita esse suo iure contendit. Quas argumentationes qui inter se comparaverit, utrum anonymo an Lucillo palmam det, ne paulum quidem in dubio erit.

Atque in eo quoque Lucillus Aristarchique sectatores in contraria abibant, quod ille litteras a priscis Graecis inventas, hi iis ab aliis una cum litterarum vocabulis importatas esse docebant. Quos ita de hac re iudicasse ex Varrone quoque scimus, qui, ubi[5] contra analogiam disputat, idem argumentum ac Lucillus alio sane spectans affert. Haec enim legimus:

---

[1] Exstat etiam in A. P. IX 684.

[2] schol. A ad Hom. Il. *Z* 169.

[3] cf. Lehrs, De Aristarchi stud. Hom.[3] p. 95 et Roemer. ap. Belznerum l. l. I p. 143.

[4] Porphyr. quaest. Hom. I ad Il. p. 94, 3 Schr.

[5] de L. L. VIII 64.

ap. Varronem	ap. Lucillum
secundo quod Crates, cur quae singulos habent casus, ut litterae Graecae, non dicantur alpha, alphati, alphatos, si idem mihi respondebitur, quod Crateti: non esse vocabula nostra, sed penitus barbara, quaeram, cur idem nostra nomina et Persarum et ceterorum, quos vocant barbaros, cum casibus dicant.	*ἰστέον δέ, ὅτι τὰ ὀνόματα τῶν στοιχείων ἄκλιτά εἰσιν, ὡς μέν φασί τινες, ὅτι βαρβάρων ἐστὶν εὑρήματα. Πρὸς οὓς ἔστιν εἰπεῖν, ὅτι πρῶτον μὲν πολλὰ ⟨ὀνόματα⟩ τῶν βαρβάρων κλίνονται ὡς τὸ Ξέρξης καὶ Δαρεῖος.*

Aristarcho igitur aut Aristarcheis analogiae rationem defensitantibus Crates teste Varrone responderat: quod litterarum vocabula in casus inclinari non possent, non esse analogiam. Quam antisophistae rationem Aristarchus ita diluere studuerat, ut haec vocabula utpote barbara hac in quaestione omnino non respicienda esse diceret. Huius igitur controversiae memor Lucillus, ut opinionem suam, si forte ab Aristarcheis impugnaretur, defenderet, Cratetis argumentum, id quod notatu perquam dignum est, suum fecit. Neque vero minus memoranda sunt, quae de suo adiecit. Stultos enim, ait ille, putare litteras, quae fundamentum linguae Graecae constituant, a barbaris inventa esse. Illud porro etiam Aristarcheos concedere complures litteras posteris demum temporibus a Graecis inventas esse atque eorum vocabula ipsa quoque declinari non posse. Ea ergo ex re, quod litterarum nomina in casus inclinari nequeant, litteras barbaris deberi concludendum non esse. Immo in eo potius Lucillus sentit huius rei causam positam esse: *ἢ ἐπειδὴ ἀρχαί εἰσιν, αἱ δὲ ἀρχαὶ θέλουσιν ἁπλαῖ τε εἶναι καὶ ἀποίκιλοι, ὥσπερ ἡ λευκότης αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν νοουμένη ἁπλῆ ἐστιν.* Quae argumentatio propterea nobis notatu digna videtur, primum quod in his quoque verbis philosophicam Lucilli mentem spirare nemo non videt; deinde quod, quae hic de elementis traduntur, Aristotelis[1] sunt, quem initio quoque tractatus Lucillus attulit.

---

[1] Metaph. IV 3 p. 1014 a/b.

Nam hic primus minimas syllabarum partes, dico singulas litteras, cum physicorum atomis *ἀδιαιρέτοις καὶ ἁπλαῖς* comparavit, unde etiam Dionysium Halic.[1] sua sumpsisse notum est. Altera porro huius rei causa, quam Lucillus reddit: *ἢ ὅτι οἱ θεμέλιοι ἀμεταθέτως θέλουσιν ἔχειν* iam a prioribus grammaticis Graecis allata erat. Nam ipse Varro,[2] cum haec nomina propterea declinari non posse dicat, „quod simplicia haec et stabilia esse debeant quasi fundamentum omnis doctrinae immobile," idem ex fontibus suis hausit.

Argumento denique ex philosophia naturali ducto etiam Platonem eosque, qui litteras divinitus ad homines delatas esse putabant, refutat. Quibus opponit haec: *καὶ γὰρ ἡ φύσις, ἡνίκα ἐδημιούργησε τὸν ἄνθρωπον, ἐχαρίσατο αὐτῷ τοιαύτην ἐπιτηδειότητα ὥστε τεχνάσασθαι ταῦτα τὰ γράμματα.* His autem ex verbis Stoicorum sapientia nobis videtur redolere, quod ut magis in aperto sit, cum iis ea contendimus, quae Zeno[3] de natura, omnium rerum procreatrice, dixit: *ἔστι δὲ φύσις ἕξις ἐξ αὑτῆς κινουμένη κατὰ σπερματικοὺς λόγους ἀποτελοῦσά τε καὶ συνέχουσα τὰ ἐξ αὑτῆς . . . ταύτην δὲ καὶ τοῦ συμφέροντος στοχάζεσθαι καὶ ἡδονῆς, ὡς δῆλον ἐκ τῆς τοῦ ἀνθρώπου δημιουργίας.* Uterque igitur naturam universam deum faciens *φύσιν* fuisse *δημιουργὸν τοῦ ἀνθρώπου* dicit. Item naturam omnia eleganter et ad usum accommodate instituisse, quae est Stoicorum sententia, Lucilli quoque verbis denotari videtur.

Quibus rebus perlustratis iam summam faciamus eorum, quae haec fragmenta nos docuerunt. Ac primum quidem in eo neminem offensurum esse speramus, quod fragmenta XIII—XVI non ut ex uno eodem Lucilli opere sumpta tractavimus. Nam quamquam posteriores technographos ea, quae de litteris exponere volebant, primis artium suarum capitibus expedire solitos esse non ignoramus, tamen, quod Lucilli *περὶ γραμμάτων* commentatio latum ambitum habuisse videtur et Stephanus, qui inter Lucilli opera *καὶ περὶ γραμμάτων καὶ τεχ-*

[1] De comp. verb. 14.
[2] frg. 1 Fun., cf. G. L. II p. 8, 4 K.
[3] Diog. Laert. VII 148 (= de Arnim, Stoic. frg. II 1132).

νικά enumeret, duo discernit opera, eum de litteris peculiari libro egisse pro explorato habemus. Deinde notandum est ea, quae Wilamowitzius de Lucilli aetate dixit, his fragmentis optime confirmari. Atque id quoque, quod ex aliis fragmentis eminere vidimus, Lucillum philosophantis oculis res considerare ac nova et inaudita proferentem admirationem captare solitum esse, hic iterum observamus. Ex rationibus autem, quas tum homines in philosophia sequebantur, Stoicorum doctrina nonnihil apud eum valuisse videtur. Maximi vero momenti sunt ea, quae de Lucilli opinionibus diversissimis ab Aristarchi eiusque sectatorum sententiis exposuimus. Nam eundem, quem illis obloqui iam supra animadvertimus, hic prorsus adversarii partes agentem invenimus. Qua in re usque eo processit, ut etiam argumentum, quo Crates contra Aristarcheos usus erat, in suam rem converteret. Quae cum ita sint, Lucillum ipsum quoque in numero eorum grammaticorum fuisse apparet, qui contra Aristarcheorum scholam (cf. p. 72 sq.) suas ipsorum vias persecuti sunt.

Ad extremum denique singula, ut ita dicamus, oris lineamenta, quae pedetemptim progredientes eruimus, componentes quam verissimam Lucilli imaginem describamus. Lucillus igitur grammaticus Tarrhae, in parvo quidem, sed antiquissimo[1] oppido, quod in obeuntis solis partibus Cretae insulae situm erat, circa annum p. Chr. n. tricesimum natus est, cum ars grammatica summum fastigium iam pridem transgressa erat. Quare mirum non est, quod ut plurimi, qui tum erant, grammatici, ita Lucillus ea, quae prioribus saeculis ingeniosiores viri excogitaverant et congesserant, in usum suum contulerit. At Lucilli memoria et multa eorum, quae docuerat, per posteriorum manus tradita usque ad infimam aetatem manserunt, quamobrem eum inter aequales auctoritate floruisse certum est. Studia eius non tam ad voces, quam ad res antiquas fabularesque explanandas videntur pertinuisse. Ubicumque autem grammaticus in iisdem quaestionibus atque Aristarchus eiusque sectatores versatur, in diversa opinione est, quin etiam in Pergamenorum doctrina eum volutatum

---

[1] cf. Assmann, Zur Vorgeschichte von Kreta, Philol. 67 (1908) p. 166.

fuisse hic illic apparet, quo eum in Aristarcheorum numero non ducendum esse aut saltem ipsum se non duxisse demonstratur. Neque minus manifestum est eum philosophorum quoque studiis deditum fuisse, etsi eum uni alicui certo se addixisse vel ea de causa veri non videtur simile esse, quod imperatorum aetate plerosque ex variorum philosophorum fontibus iudicio arbitrioque suo haurire solitos esse constat. Quare nihil nisi id pro certo dicere possumus: in fragmentis nonnulla inveniri, quae ex Aristotelis et Peripateticorum disciplina libata sint; praeterea autem Stoicorum placita multum ad eum pertinuisse. Praeter grammaticam Lucillus rhetorum quoque artem professus est, quorum artificia in disputationibus suis adhibere non dubitavit. Quorum menti ac voluntati par est, quod a communi opinione dissentiens ostentationis causa magis ea, quae conspicua quam quae simplicia et vera erant, saepe tradidit. Quem virum Romae vixisse pro certo quidem demonstrari nequit; tamen quod tum caput mundi eiusmodi homines praecipue alliciebat, qui studia ad erudiendos iuvenes utilissima, philosophiam scilicet et artes grammaticam rhetoricamque amplecterentur, aliqua cum probabilitate Lucillum quoque Romae degentem faciamus.

Conclusio.

Iam ubi ad quaestionem principalem de epigrammatis illis reversi ea, quae ex carminibus de auctore eorum et ex fragmentis de Lucillo Tarrhaeo didicimus, inter se comparaverimus, colligentur haec: utrique nomen prae aliis rarissimum Lucillus est, uterque genere Graecus, utriusque vitae spatium plane in idem ipsum tempus incidit. Uterque porro artem grammaticam exercuit et Aristarchi sectam, quae etiam tum praevalebat, secutus non est. Apud utrumque denique mens rhetorica adeo apparet, ut utrumque hanc quoque artem professum esse veri simile sit. Accedit, quod uterque proverbia Graeca et comoedias penitus novit (cf. p. 43 sqq. et 83). Quin hac in re nescio an longius provehi liceat. Nam Lucillum Tarrhaeum, ubi de proverbio disputat, id genus proverbiorum, quae epilogo quodam ornata sunt, imprimis respicere supra vidimus. Haec autem proverbia faceta, quae, quod inexspectato exitu concluduntur, risum movent, cum epigrammatis illis artissimo vinculo coniuncta esse nemo non videt. Atque etiam argumentum carminis XI 112 ex proverbio *χαῖρε φίλον φῶς*, cuius epilogum supra (p. 77[6]) attulimus, profectum esse ostendit Hauptius.[1] Quibus rebus omnibus inter se congruentibus Lucillum Tarrhaeum epigrammatum quoque auctorem esse pro certo habemus.

Qua re cognita permulta, quae ad hunc grammaticum attinent, dilucidius cernuntur. Nam praeterquam quod ea, quae ex fragmentis extricavimus, epigrammatis comprobantur, non nihil de eius vita et persona ex iis addiscimus. Cognoscimus enim Lucillum iam iuvenili aetate Romam se contulisse,

---

[1] Opusc. II p. 398.

ubi eo ipso tempore Andromachus,[1] popularis eius Neronisque archiater, ipse quoque versus pangens versabatur. Quod vero in magno aemulorum numero Lucillus auctoritatem sibi comparavit, hoc certe primitus Neroni debuit, cuius favorem lepore et facetiis consecutus est. Neque vero minus eorum quoque, quae docebat, novitate hic Graeculus Romanorum populariumque oculos in se convertere scivit.

[1] cf. Wellmann: P. W. I 2 s. v. Andromachus (17) col. 2153 sq.

Verlag von Ferdinand Sc

Rhetorische

1. Heft: **Prodikos von Keos un** ... **mik bei den Griechen.** Von **Dr. Hermann Mayer.** 1913. 159 Seiten. gr. 8°. GM 5,–.
2. Heft: **Die rednerische Disposition in der alten ΤΕΧΝΗ ΡΗΤΟΡΙΚΗ** (Korax — Gorgias — Antiphon). Von **Dr. Peter Hamberger.** 1914. 128 Seiten. gr. 8°. GM 4,—.
3. **Lukians ΔΗΜΟΣΘΕΝΟΥΣ ΕΓΚΩΜΙΟΝ.** Von **Dr. Albert Bauer.** 1914. 108 Seiten. gr. 8°. GM 3,60.
4. Heft: **De scholasticarum declamationum argumentis ex historia petitis** dissertationem praemio ornatam scripsit **Ricardus Kohl,** Rhenanus. 1915. 116 S. gr. 8°. GM 4,20.
5. Heft: **Alexander Numeniu ΠΕΡΙ ΣΧΗΜΑΤΩΝ in seinem** Verhältnis zu Kaikilios, Tiberios und seinen späteren Benutzern. Von **Dr. Theod. Schwab.** 1916. 123 Seiten. gr. 8°. GM 4,20.
6. Heft: **Die Monodie des Michael Psellos auf den Einsturz der Hagia Sophia** von **Dr. Paul Würthle.** 1917. IV u 108 Seiten. gr. 8°. GM 5,—.
7. Heft: **Die Scheinargumente bei Lysias** insbesondere in der XII. Rede: **Κατὰ Ἐρατοσθένους** und in der XXIV. Rede: **Περὶ τοῦ μὴ διδόναι τῷ ἀδυνάτῳ ἀργύριον** von **Dr. Karl Schön.** 1918. IV u. 116 Seiten. gr. 8°. GM 6,—.
8. Heft: **Symbuleutici qui dicitur sermonis historiam criticam** per quattuor saecula continuatam scripsit **Josephus Klek.** 1919. IV u. 169 Seiten. gr. 8°. GM 5,—.
9. Heft: **Über die pseudoxenophontische ΑΘΗΝΑΙΩΝ ΠΟΛΙΤΕΙΑ.** (Untersuchungen über Text, literarischen Charakter und sozialpolitische Bedeutung der Schrift) von **Dr. Georg Stail.** 1921. 133 Seiten. gr. 8. GM 5,40.
10. Heft: **Die Stimmbildung der Redner im Altertum bis auf die Zeit Quintilians** von **Dr. Armin Krumbacher.** 1921. 108 Seiten. gr. 8°. GM 5,—.
11. Heft: **Die Aristocratea des Demosthenes als Advokatenrede und ihre politische Tendenz** von **Dr. Liborius Vorndran.** 1922. 68 Seiten. gr. 8°. GM 2,—
12. Heft: **Die Vita S. Hilarii Arelatensis** von **Dr. P. Benedikt Kolon O. F. M.** 1925. 128 Seiten. gr. 8°. GM 8,—.